An. et vol. CV 1 Martii 2013 N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

DECLARATIO SUMMI PONTIFICIS

De muneris Episcopi Romae, Successoris Sancti Petri abdicatione.

Fratres carissimi,

Non solum propter tres canonizationes ad hoc Consistorium vos convocavi, sed etiam ut vobis decisionem magni momenti pro Ecclesiae vita communicem. Conscientia mea iterum atque iterum coram Deo explorata ad cognitionem certam perveni vires meas ingravescente aetate non iam aptas esse ad munus Petrinum aeque administrandum.

Bene conscius sum hoc munus secundum suam essentiam spiritualem non solum agendo et loquendo exerceri debere, sed non minus patiendo et orando. Attamen in mundo nostri temporis rapidis mutationibus subiecto et quaestionibus magni ponderis pro vita fidei perturbato ad navem Sancti Petri gubernandam et ad annuntiandum Evangelium etiam vigor quidam corporis et animae necessarius est, qui ultimis mensibus in me modo tali minuitur, ut incapacitatem meam ad ministerium mihi commissum bene administrandum agnoscere debeam. Quapropter bene conscius ponderis huius actus plena libertate declaro me ministerio Episcopi Romae, Successoris Sancti Petri, mihi per manus Cardinalium die 19 aprilis MMV commisso renuntiare ita ut a die 28 februarii MMXIII, hora 20, sedes Romae, sedes Sancti Petri vacet et Conclave ad eligendum novum Summum Pontificem ab his quibus competit convocandum esse.

Fratres carissimi, ex toto corde gratias ago vobis pro omni amore et labore, quo mecum pondus ministerii mei portastis et veniam peto pro omnibus defectibus meis. Nunc autem Sanctam Dei Ecclesiam curae Summi eius Pastoris, Domini nostri Iesu Christi confidimus sanctamque eius Matrem Mariam imploramus, ut patribus Cardinalibus in eligendo novo Summo Pontifice materna sua bonitate assistat. Quod ad me attinet etiam in futuro vita orationi dedicata Sanctae Ecclesiae Dei toto ex corde servire velim.

Ex Aedibus Vaticanis, die 10 mensis februarii MMXIII.

BENEDICTUS PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus Beatae Mariae a Monte Carmelo Sallés y Barangueras Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Apprehenderem te et ducerem in domum matris meae; ibi me doceres » (*Ct* 8, 2).

Divina Sapientia Mariam a Monte Carmelo ad vitam puellis instituendis compulit atque hac de causa ad Congregationem Sororum Conceptionistarum Missionariarum ab Institutione condendam.

Beata in oppido *Vic* Barcinonensis provinciae die IX mensis Aprilis anno MDCCCXLVIII orta est atque duos post dies est baptizata eique Mariae Carmelitidis nomen est inditum. In familia perquam religiosa adolevit. Eius pater Iosephus Sallés tertiarius Franciscalis atque mater Francisca Barangueras tertiaria Carmelitana erant. Paulo post quam primo ad sacrum convivium accessit, sanctuarium Montiserrati invisens, Deum se ad vitam religiosam vocantem animadvertit. Tum Beata, tum soror Melchora, quae in Carmelum Dertosanum erat ingressa, parentum adversitatem vincere debuerunt, quippe qui eas sponsas ac matresfamilias vidissent. Sed alteram spiritalem matris formam Mariae Carmelitidi comparabat Dominus. Postquam ad vitam religiosam de sua vocatione cum spiritali moderatore egit, anno MDCCCLXIX novitiatum Religiosarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti et Caritatis et Gratiae Barcinonensem est ingressa. Inter Adoratrices desiderium sese consecrandi et erga Eucharistiam devotionem altius perpendit, quae una cum mysterii Mariae Immaculatae contemplatione, eius spiritalitatem effingent. Attamen non animadvertit ad acris animi puellas recuperandas se vocari, quod est proprium sororum Adoratricum. Mariae omnis labis expertis sub lumine, parvulorum institutionem praecipuum putavit instrumentum ut Divinae Providentiae consilium a peccato arcendi extollendique mulierem, quo munus sustineret operosius usque in societate, adimpleretur. Dicere solebat: « Ad bonos fines obtinendos bonis principiis opus est ». Sic Adoratricum

novitiatum deseruit, Tertiariarum Dominicanarum novitiatum est ingressa, postea Dominicanarum Annuntiatae, quas paulo ante sanctus Franciscus Coll, O.P., condiderat. Hae feminis instituendis operam dabant atque complures annos hoc munus ea sustinuit. Eius educatricis vocatio una cum Spiritus Sancti donis consumabatur atque pedetemptim necessitatem detexit quasdam lacunas complendi: Institutum plene Ecclesiae applicandi atque mulieribus ipsius aetatis ampliorem institutionem praebendi, sive ad materiam, sive ad culturam tam religiosam quam generalem quod attinet. Complures post difficultates, a suo moderatore spiritali suffulta et erga Episcopum oboedientia, multas post precationes discretionemque, una cum septem sociis ex Dominicanarum Instituto est egressa, ut die XV mensis Octobris anno MDCCCXCII Burgi novum vitae consecratae genus, sub nomine Religiosarum Conceptionistarum Sancti Dominici, conderet, quae hodie Conceptionistae Missionariae ab Institutione appellantur. Ad eius desiderium, novum Institutum primum dioecesanam comprobationem obtinuit postque, anno MCMVIII, sanctus Pius X Decretum Laudis concessit. Suas filias beata monebat: « Cisternae estote, quae studio et precatione, scientia et virtutibus implentur, quae postea diffundantur ». Precatione ac praesertim eucharistica adoratione sustentata, breviter scholas non modo in Hispania, sed etiam in Francogallia et America constituit. Institutionis rationem ex amore in Virginem Immaculatam traxit. Eius discipulae rettulerunt « satis esse in sacello eam videre ut propria eucharisticae praesentiae fides roboraretur ». Cum novis domibus condendis in Italia et Brasilia operam daret, diro morbo est correpta, quem christiana remissione multisque poenis toleravit. Die XXV mensis Iulii anno MCMXI Matriti, festo die sancti Iacobi Apostoli, obiit, magna ad funera comitante caterva, quod amplae agnitaeque sanctitatis famae fuit signum.

Beatificationis causae Processus canonicus in archidioecesi Matritensi annis MCMXLVIII-MCML est celebratus. Die XVII mensis Decembris anno MCMXCVI beatus Ioannes Paulus II Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis et die VIII mensis Decembris anno MCMXCVII Decretum super miro foras emisit. Idem Summus Pontifex die XV mensis Martii anno MCMXCVIII beatificationis ritum egit. Pro canonizatione sanatio adlata est quae mira est putata. Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum in Congressione die XXX mensis Iunii anno MMXI eam consideraverunt ad scientiam inexplicabilem atque Theologi Consultores in Congressione particulari die VIII mensis Octobris anno MMXI faventia suffragia tulerunt. Patres Cardinales Episcopique verum miraculum iudicarunt sanationem in Sessione Ordinaria die VI mensis

Decembris anno MMXI. In Consistorio igitur, die XVIII mensis Februarii anno MMXII habito, Nos Ipsi decrevimus canonizationem beatae Mariae a Monte Carmelo, saeculari nomine Carmelitis Sallés y Barangueras appellatae, die XXI mensis Octobris anno MMXII celebrandam.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Iacobum Berthieu, Petrum Calungsod, Ioannem Baptistam Piamarta, Mariam a Monte Carmelo Sallés y Barangueras, Mariam Annam Cope, Catharinam Tekakwitha et Annam Schäffer Sanctos esse decernimus et defmimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.244

II

Quibus Beatae Mariae Annae Cope Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Valde esurio laborem atque toto pectore cupio inter selectos adnumerari... nihil timeo morbi; quinimmo summum erit mihi gaudium si derelictis leprosis succurrere possem » (ex epistula Mariae Annae Cope ad Patrem Leonor Fouesnel, SSCC, die XII mensis Iulii anno MDCCCLXXXIII scripta). His simplicibus verbis, Mater Maria Anna Molocaiensis, sicut aegri insulae eam vocabant, propositum sui ardoris missionalis omniumque suorum nisuum rationem expressit: amare scilicet et curare derelictos pueros Dei qui morbum leprae in insula *Molokai* patiebantur.

Beata Maria Anna Cope, nomine Barbara Koob, nata est die XXIII mensis Ianuarii anno MDCCCXXXVIII in oppido vulgo *Heppenheim* in Germania, quinta ex decem liberis Petri Koop, agricolae, et Barbarae Witzenbacher, alterius eius uxoris. Sequenti die, sacris Baptismi aquis est abluta apud ecclesiam paroecialem Sancti Petri. Periculo vero egestatis increbrescente, familia emigravit in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis anno MDCCCXXXIX sedemque constituit in oppido *Utica* in Civitate Novi Eboraci. Mutato, prout plerumque illo tempore fiebat, cognomine in linguam Anglicam, familia deinde « Cope » vocari coepta est.

Quamvis opibus tenuis, familia Barbarae locuples fide ac amore tam sibi tam proximis erat. Parentes sacramenta sedulo suscipiebant apud ecclesiam paroecialem Sancti Ioseph et liberi scholam paroecialem frequentabant. Barbara ipsa iam ab aetate quindecim annorum percipiebat vocationem ad vitam religiosam amplectendam. Eo quod pater eius infirmatus est, in fabrica eam operari oportuit ut adiumentum familiae praestaret.

Anno autem MDCCCLXII, defuncto patre, Barbara se adiunxit Congregationi Sororum Tertii Ordinis Franciscani, quae hodie appellatur Sororum Sancti Francisci Syracusarum. Die XIX mensis Novembris anno MDCCCLXII, assumpto nomine Mariae Annae, habitum religiosum induit. Sequenti anno vota perpetua nuncupavit. Deinde per decem annos Soror Maria Anna suae

Congregationi deserviit ut Moderatrix conventus, Directrix scholae necnon Administratrix valetudinarii. Anno MDCCCLXVI, sociam praestitit operam in valetudinario Sanctae Elisabethae in Utica condendo et, anno MDCCCLXIX, Syracusis illo Sancti Iosephi. Die XXVII mensis Decembris anno MDCCCLXXVII, Soror Maria Anna facta est secunda Moderatrix Generalis Sororum Beati Francisci, quod ad officium etiam cooptata est mense Iulio anni MDCCCLXXXI.

Anno autem MDCCCLXXXIII, Rex Kalakaua sacrorum Antistites Catholicae Ecclesiae rogavit ut quaererent sorores religiosas quae leprosos in Regno Havaiano curarent. Congregatio Sororum Beati Francisci hoc opus libenter suscepit et Beata Maria Anna profecta est cum sex sororibus destinatis ad hanc missionem in Insulis Sandvichensibus. Mense Novembri anni MDCCCLXXXIII advenerunt in terram Honolulensem. Beata Maria Anna adhortante, anno MDCCCLXXXIV Sorores Franciscanae propagarunt opus ad insulam *Maui* ubi condiderunt valetudinarium in *Malulani* necnon scholam Beati Antonii in *Wailuku*. Sequenti anno hospitium fundavit pro puellis lepra infectis. Discrimine leprosorum exsulum penitus transfixa, anno MDCCCLXXXV Beata Maria Anna petiit ut illic cum sororibus manere posset atque moderationem Congregationis deponere. Petitione accepta, nominata deinde est Moderatrix missionis.

Anno MDCCCLXXXVIII, Beata Maria Anna, una cum sororibus, monasterium instituit apud communitatem nomine *Kalaupapa* in insula *Molokai*, ubi curam susceperunt domus « Bishop Home » appellatae, cuius finis erat innuptas et puellas lepra affectas protegere. Triginta relictos sibi annos eo in loco transegit. Eodem anno collaborare incepit cum sancto Damiano de Veuster, qui a patientibus appellari solebat Pater Damianus Molocaiensis. Ille, priusquam mortem occumberet mense Aprili anno MDCCCLXXXIX, rogavit Beatam Mariam Annam ut ipsa domum « Boys Home », postea « Baldwin House » appellatam, in comitatu Kalawao administraret, quo munere sex per annos functa est. Deinde, rebus domesticis in melius redactis, gubernaculum eius Congregationi Sacrorum Cordium commendavit et ad domum « Bishop Home » revertit. Amplitudine, securitate, necnon familia et amicis relictis, Beata Maria Anna suam novam amplexa est vitam quo alacrius patientibus deserviret eorumque aerumnas sublevaret.

Hydropesia afflicta, Beata Anna Maria ultimos tres annos vitae suae sella rotali detenta est. Die IX mensis Augusti anno MCMXVIII, aetate LXXX annorum, in insula *Molokai* pie ad aeternam vitam transiit.

Mense Augusto anno MCMLXXXIII, causa canonizationis Beatae Annae Mariae incepta est in dioecesi Honolulensi. Die XIX mensis Aprilis anno MMIV, beatus Ioannes Paulus II, Decessor Noster fel. rec., Congregationi pro Causis Sanctorum iussit ut Decretum super heroicis virtutibus Servae Dei ederet. Ipse Beatissimus Pater, die XX mensis Decembris anno MMIV, Decretum subsignavit quo confirmavit miraculum per intercessionem Beatae a Deo verum patratum. A Iosepho S.R.E. Cardinale Saraiva Martins, tunc Praefecto Congregationis de Causis Sanctorum, ritus beatificationis Annae Mariae in Basilica Petriana die XIV mensis Maii anno MMV peractus est.

Ad canonizationem quod attinet, Consilium Medicum Congregationis de Causis Sanctorum in sessione diei XVI mensis Iunii anno MMXI sanationem cuiusdam mulieris celerem, completam, duraturam atque inexplicabilem secundum scientiam fuisse affirmavit. Consultores Theologi, in Congressu Peculiari die VIII mensis Octobris MMXI habito, eandem sanationem recognoverunt a Deo patratam esse per intercessionem Beatae Mariae Annae Cope. Die VI insequentis mensis Decembris eodem anno, Cardinales et Episcopi, qua sodales Congregationis de Causis Sanctorum, in Sessione Ordinaria congregati, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret necnon per intercessionem Beatae Mariae Annae esset effectum, responsum affirmativum protulerunt. Nos Ipsi decrevimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miro promulgaret die XIX mensis Decembris anno MMXI. Sollemni in Consistorio die XVIII mensis Februarii anni MMXII habito, sententiam Patrum Cardinalium et Episcoporum Consistorii approbavimus itemque nuntiavimus canonizationem Beatae Mariae Annae Cope celebrandam esse die XXI mensis Octobris anno MMXII in area ante Basilicam Petrianam. Hodie igitur hanc formulam inter Sacra protulimus:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Iacobum Berthieu, Petrum Calungsod, Ioannem Baptistam Piamarta, Mariam a Monte Carmelo Sallés y Barangueras, Mariam Annam Cope, Catharinam Tekakwitha et Annam Schäffer Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo duodecimo, Pontificatus Nostri octavo.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 205.850

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CAMETANENSIS

In Brasilia nova conditur dioecesis Cametanensis.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sinentibus rerum adiunctis et condicionibus, Sancta Sedes fovet emolumentum catholicarum per orbem communitatum. Cum ergo praelatura territorialis Cametanensis per divinam gratiam recentioribus his temporibus numero christifidelium operibusque religiosis ac civilibus haud parum incrementum ceperit, Venerabilis Frater Iesus Maria Cizaurre Berdonces, O.A.R., Episcopus Praelatus eiusdem dicionis, audita Conferentia Nationali Episcoporum Brasiliensium, nuper postulavit ab Apostolica Sede ut Ecclesia haec praelaticia ad gradum et dignitatem dioecesis eveheretur. Quamobrem Nos, praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Ioannis d'Aniello, Archiepiscopi titulo Paestumensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, huiusmodi inceptum, animarum saluti profuturum, excipiendum iudicavimus.

Idcirco de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis praelaturam territorialem Cametanensem evehimus ad gradum dioecesis, eodem servato nomine ac territorio.

Huius novae dioecesis sedem in urbe statuimus in qua hucusque praelaturae sedes exstitit eiusque templum ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evehimus, congruis iuribus et privilegiis concessis. Novam dioecesanam communitatem suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Belemensis de Pará eiusque Episcopum pro tempore subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Ecclesiae Metropolitanae. Cetera ad normam iuris canonici expediantur.

Novae dioecesis Cametanensis Ordinarius et Pastor confirmatur, peritus in eius populo regendo, Venerabilis Frater Iesus Maria Cizaurre Berdonces, O.A.R., hactenus Episcopus Praelatus eiusdem dicionis.

Ad haec omnia perficienda destinamus Venerabilem Fratrem Ioannem d'Aniello, Archiepiscopum titulo Paestumensem et in Brasilia Apostolicum Nuntium, omnes necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo dicitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere iniuncto ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus eiusdem peractae exsecutionis remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet minime obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Februarii, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.716

II

GAMBOMENSIS

Detracto a dioecesi Ouandoënsi districtu civili vulgo «Plateaux» nova dioecesis in Congo constituitur, Gambomensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Petrini muneris inter gravissima officia, quae Deo iubente suscepimus gerenda, maximi momenti esse arbitramur Ecclesiarum statum aptius disponere atque ordinare: Nos enim non latet hac ratione animarum salutem uberiore fructu comparari reique catholicae magna incrementa in toto terrarum orbe afferri. Qua de re, cum expostulatum sit ab Apostolica Sede, ut dioecesis Ouandoënsis dismembrato territorio nova dioecesis conderetur, Nos, audito Venerabili Fratre Ioanne Romaeo Pawłowski, in ea Natione Nuntio Apostolico atque Archiepiscopo titulo Seinensi, item de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Apostolica auctoritate Nostra haec decernimus. A dioecesi Ouandoënsi detrahimus hoc territorium, prout in praesens lege civili circumscribitur, districtus civilis vulgo nuncupati «Plateaux», e quo novam dioecesim constituimus, quae Gambomensis appellabitur a nomine urbis *Gamboma.* In hac vero urbe Episcopus sedem collocabit in exstanti ibi paroeciali templo, Deo in honorem « Sancti Pii X, Papae » dicato, cui omnia tum iura tum privilegia concedimus templi Cathedralis. Novam Ecclesiam Sedi Metropolitanae subicimus Brazzapolitanae tamquam suffraganeam, cuius Praesuli, pro tempore metropolitico iuri Archiepiscopo, Episcopus Gambomensis obnoxius erit. Cetera autem omnia secundum praescripta iuris canonici temperentur. Volumus vero ut haec iussa Nostra exsequenda curet Venerabilis Frater Ioannes Romaeus Pawłowski, quem diximus, vel qui eo tempore, quo haec decreta ad rem adducentur, Apostolicae in Congo Nuntiaturae praeerit. Qui autem negotium perfecerit, exactae rei documenta, rite subscripta, cum primum fas erit, ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittet. Contrariis quibusvis causis neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die altero et vicesimo mensis Februarii, Cathedrae S. Petri Apostoli in festivitate, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.896

III

PORTUS LEGUIZAMENSIS-SOLANENSIS

Vicariatus Apostolicus conditur in Columbia, Portus Leguizamensis-Solanensis appellandus.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Caritas Domini postulat ut aeternam vitam cunctis gentibus nuntiet Ecclesia. Hac ratione sollicite fovere studemus ubique terrarum opus evangelizationis, aptis etiam providentes ecclesiasticis constituendis structuris. Cum vero expostulatum est ut in Columbia Vicariatus Apostolicus Sancti Vincentii-Portus Leguizamensis divideretur, quo facilius et efficacius spiritale bonum fidelium curaretur, Nos, proposito congruenter perpenso, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, habito quorum interest favorabili voto, statuimus et decernimus constitutionem novi

Vicariatus Apostolici Portus Leguizamensis-Solanensis, qui eodem constet territorio ac districtus civiles vulgo appellati « Leguízamo » et « Solano », a priore Vicariatu Apostolico Sancti Vincentii-Portus Leguizamensis abstracti. Omnia autem, quae ad christifidelium bonum pertinent novi Vicariatus Apostolici, sollicitis curis Instituti Missionum a Consolata fiduciose concredimus. Novum Vicariatum Apostolicum iurisdictioni memoratae Congregationis obnoxium constituimus.

Haec omnia diligenter ad expedienda Nuntium Apostolicum vel eum qui curat Apostolicae Sedis negotia in Columbia delegamus; re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione sine mora mittantur. Contrariis rebus quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Februarii, anno Domini bismillesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri octavo.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.898

LITTERAE APOSTOLICAE
MOTU PROPRIO DATAE

De nonnullis mutationibus in normis ad electionem Romani Pontificis attinentibus.

BENEDICTUS PP. XVI

Normas nonnullas per Apostolicas Litteras *De aliquibus mutationibus in normis de electione Romani Pontificis* Motu Proprio die XI mensis Iunii anno MMVII, tertio Nostri Pontificatus, datas, statuimus, quae, cum eas abrogarent normas quae in numero 75 continentur Constitutionis Apostolicae *Universi Dominici gregis* quam die XX mensis Februarii anno MCMXCVI Decessor Noster beatus Ioannes Paulus II promulgavit, normam statuerunt, traditione sancitam, ad quam, ut valida Summi Pontificis habeatur electio, duae ex tribus partes suffragiorum omnium Cardinalium electorum praesentium semper requiruntur.

Gravitate quidem considerata quo aptiore modo id evolvatur quod, quamvis vario pondere, ad electionem attinet Romani Pontificis, potissimum ad certam interpretationem et exsecutionem nonnullorum praeceptorum, statuimus et decernimus ut quaedam normae Consitutionis Apostolicae *Universi Dominici gregis* necnon ea quae in supra memoratis Apostolicis Litteris Nos Ipsi statuimus, substituantur normis quae sequuntur:

35. Cardinalis elector nulla ratione vel causa a Summi Pontificis electione activa et passiva excludi potest, vigentibus tamen iis omnibus quae sub n. 40 et 75 huius Constitutionis statuuntur.

37. Praecipimus praeterea ut, ex quo Apostolica Sedes legitime vacat, antequam Conclave incohetur, mora sit interponenda quindecim solidorum dierum, facta tamen Cardinalium Collegio potestate Conclavis initium anticipandi, si constat omnes Cardinales electores adesse, vel etiam proferendi per aliquot dies, si graves obstant causae; tamen viginti diebus ad summum elapsis ab initio Sedis vacantis, cuncti Cardinales electores praesentes ad electionis negotium procedant.

43. Ex quo initium negotiorum electionis statutum est ad peractae usque Summi Pontificis electionis publicum nuntium vel, utcumque, hoc iusserit novus Pontifex, aedes *Domus Sanctae Marthae,* pariterque Sacellum Sixtinum atque loci designati liturgicis celebrationibus obserari debebunt, sub auctoritate Cardinalis Camerarii externaque cooperatione Vicecamerarii et Substituti Secretariae Status, omnibus licentia carentibus, prout statuitur in sequentibus numeris.

Integra regio Civitatis Vaticanae, atque etiam ordinaria industria Ministeriorum quorum sedes stat intra eius fines, ita moderandae erunt, hoc tempore, ut circumspectio in tuto collocetur nec non expedita explicatio actionum ad Summi Pontificis electionem pertinentium. Provideatur peculiariter, Praelatis Clericis de Camera etiam opem ferentibus, ut Cardinales electores a nullo conveniantur iter facientes ab aedibus *Domus Sanctae Marthae* ad Palatium Apostolicum Vaticanum.

46. § 1º Ut personarum necessitatibus et officii, quae cum electionis cursu nectuntur, occurratur, praesto esse debent ideoque convenientibus locis recepti intra fines quorum in huius Constitutionis n. 43 fit mentio, Secretarius Cardinalium Collegii, qui conventus electivi Secretarii fungitur munere, Magister Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum cum octo Caeremoniariis et duobus Religiosis qui Sacrarium Pontificium curant; atque ecclesiasticus vir a Cardinale Decano electus vel a Cardinale vicem gerente, ut in munere explendo eum iuvet.

47. Omnes personae quae n. 46 et n. 55, § 2º significantur huius Constitutionis Apostolicae, quae quavis ratione ac quovis tempore a quocumque resciscunt ea quae ad recte obliqueve proprios electionis actus attinent, potissimum quae peracta ipsius electionis scrutinia contingunt, arto secreto tenentur cum qualibet persona ad Collegium Cardinalium electorum non pertinente; hac de causa, antequam incipiat electio, ius iurandum nuncupare debent, secundum modum et formulam, ut subsequens numerus indicabit.

48. Illi omnes, de quibus dicitur n. 46 et n. 55, § 2º huius Constitutionis, rite certiores facti circa significationem amplitudinemque iuris iurandi faciendi ante negotiorum electionis initium coram Cardinale Camerario vel alio Cardinale ab eo delegato et coram duobus Protonotariis Apostolicis de Numero Participantium, tempore opportuno pronuntiabunt et subscribent ius iurandum secundum hanc formulam:

Ego N. N. promitto et iuro me inviolate servaturum esse secretum absolutum cum omnibus quotquot participes non sunt Collegii Cardinalium electorum, hoc quidem in perpetuum, nisi mihi datur expresse peculiaris facultas a novo Pontifice electo eiusve Successoribus, in omnibus quae directe vel indirecte respiciunt suffragia et scrutinia ad novum Pontificem eligendum.

Itemque promitto et iuro me nullo modo in Conclavi usurum esse instrumentis quibuslibet ad vocem transmittendam vel recipiendam aut ad imagines exprimendas quovis modo aptis de iis quae tempore electionis fiunt intra fines Civitatis Vaticanae, atque praecipue de iis quae quolibet modo directe vel indirecte attinent ad negotia coniuncta cum ipsa electione.

Declaro me editurum esse ius iurandum utpote qui plane noverim quamlibet eius violationem adducturam esse excommunicationis mihi poenam latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae manu mea tango.

49. Exsequiis defuncti Pontificis rite persolutis et apparatis iis quae requiruntur ad legitimam electionem exsequendam, die constituto, prout n. 37 huius Constitutionis decernitur, pro Conclavis initio, Cardinales omnes convenient in Basilicam Vaticanam Sancti Petri, vel alium in locum pro temporis et loci opportunitate, ad participandam sollemnem Eucharisticam celebrationem cum Missa votiva *pro eligendo Papa*. Hoc congruenti tempore matutino persolvendum est, ita ut horis postmeridianis impleri possit quod praescribitur sequentibus numeris huius Constitutionis.

50. A Sacello Paulino Palatii Apostolici, ubi congruo pomeridiano tempore Cardinales electores adstiterint, chorali vestimento induti sollemni processione, cantu invocantes *Veni, creator* Spiritus Sancti assistentiam, se conferent in Cappellam Sixtinam Palatii Apostolici, locum et sedem electionis peragendae. Processionem participabunt Vicecamerarius, Auditor Generalis Camerae Apostolicae et duo membra cuiusque Collegii Protonotariorum Apostolicorum de Numero Participantium, Praelatorum Auditorum Rotae Romanae et Praelatorum Clericorum de Camera.

51, § 2° Quapropter Collegium Cardinalium, agens de auctoritate et officio Camerarii, quem adiuvabit Congregatio particularis de qua in numero 7 huius Constitutionis, curabit ut, intra praefatum Sacellum et in locis contiguis, omnia prius disponantur adiuvantibus quoque foris Vicecamerario et

Substituto Secretariae Status, ita ut regularis electio eiusdemque secreta indoles in tuto ponantur.

55, § 3° Si quid tale contra hanc normam admissum fuerit, sciant auctores se innodari excommunicationis poena *latae sententiae* Sedi Apostolicae reservatae.

62. Modis abrogatis electionis qui per *acclamationem seu inspirationem* et *per compromissum* dicuntur, electionis forma Romani Pontificis futuro de tempore erit tantum *per scrutinium.*

Decernimus igitur ut Summi Pontificis ad validam electionem saltem duae ex tribus partes suffragiorum requirantur omnium electorum praesentium et suffragia ferentium.

64. Tribus gradibus explicatur scrutinium, quorum primus, qui *antescrutinium* vocari potest, complectitur: 1) schedularum praeparationem et partitionem per Caeremoniarios — qui interea in aulam revocantur una cum Secretario Collegii Cardinalium simulque cum Magistro Pontificiarum celebrationum Liturgicarum — quique earum saltem duas vel tres cuique Cardinali electori dabunt; 2) ex omnibus Cardinalibus electoribus sortitionem trium Scrutatorum, trium ad infirmorum excipienda suffragia qui destinantur, qui brevitatis gratia *Infirmarii* appellantur, et trium Recognitorum; sortes has publice iacit novissimus Cardinalis Diaconus, qui subinde novem nomina depromit illorum qui munia haec sustinere debent; 3) si in extractione Scrutatorum, *Infirmariorum* et Recognitorum ducta nomina exierint Cardinalium electorum qui, ob infirmitatem vel aliam ob causam impedientur quominus officia haec gerant, eorum loco alia nomina non impeditorum depromantur. Primi tres sorte educti erunt Scrutatores, alteri tres *Infirmarii,* ceteri vero tres Recognitores.

70, § 2° Scrutatores in unam summam redigunt suffragia, quae quilibet obtinuit, et si nemo saltem ad duas partes ex tribus suffragiorum pervenit, non est electus Papa in illo scrutinio; si quis vero duas partes ex tribus saltem accepit, habetur electio Romani Pontificis et quidem canonice valida.

75. Si scrutinia de quibus in numeris septuagesimo secundo, tertio et quarto memoratae Constitutionis incassum reciderint, habeatur unus dies orationi, reflexioni et dialogo dicatus; in subsequentibus vero suffragationibus, servato ordine in numero septuagesimo quarto eiusdem Constitutionis

statuto, vocem passivam habebunt tantummodo duo nomina quae in superiore scrutinio maiorem numerum suffragiorum obtinuerunt, nec recedatur a ratione ut etiam in his suffragationibus minimum maioritas qualificata duarum ex tribus partium suffragiorum Cardinalium praesentium et vocem activam habentium ad validitatem electionis requiratur. In his autem suffragationibus, duo nomina quae vocem passivam habent, voce activa carent.

87. Post electionem canonice factam, ultimus Cardinalis Diaconus vocat in aulam electionis Secretarium Collegii Cardinalium et Magistrum Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum et duos Caeremoniarios; atque consensus electi per Cardinalem Decanum aut per Cardinalium primum ordine et aetate, nomine totius Collegii electorum, his verbis requiratur: *Acceptasne electionem de te canonice factam in Summum Pontificem?* Statimque, post consensum declaratum, electus interrogetur: *Quo nomine vis vocari?* Tunc per Magistrum Pontificiarum Celebrationum Liturgicarum, munere notarii fungentem, testibus adhibitis duobus Viris a caeremoniis, instrumentum de acceptatione novi Pontificis et de nomine ab eo assumpto conficitur.

Omnia quae in his Litteris Apostolicis in forma Motu Proprio deliberavimus, ordinamus ut in omnibus earum partibus serventur, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Hoc documentum cum in actis diurnis *L'Osservatore Romano* evulgabitur, statim vigere incipiet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXII mensis Februarii, anno MMXIII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 208.950

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabilibus Servis Dei Ioanni Henrico Villelmo Prassek, Hermanno Lange et Andreae Paulo Eduardo Müller Beatorum honores decernuntur.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — «Salutate Episcopum et nomine meo referte ei gratias de universis, ante omnia de hoc quod me presbyterum ordinavit. Hic in terra nihil maius pulchriusque vixi, et nunc venit mihi maius gaudium, Deus, vita aeterna» (ex *Epistulis* Ioannis Prassek).

Ex his verbis epistulae, quam Venerabilis Servus Dei Ioannes Henricus Villelmus Prassek suis misit familiaribus tempore durissimae suae custodiae, intellegere possumus rerum adiuncta circa martyres Lubecenses eorumque in Ecclesiam amorem. Presbyteri Ioannes Henricus Villelmus Prassek, Hermannus Lange et Andreas Paulus Eduardus Müller, exercentes suum ministerium sacerdotale in ecclesia Sacratissimi Cordis Iesu Lubecae, confligere debuerunt cum ratione Partis Nationalis Socialistae contra catholicam fidem. His adversis in condicionibus tres presbyteri constanter firmiterque defenderunt principia fidei suamque Christo et Ecclesiae adhaesionem. Quam ob rem iniuste sunt in carcerem coniecti et capite damnati. Etiamsi poenas sunt perpessi, Venerabiles Servi Dei numquam cessarunt fidem catholicam testari atque omnimode defendere. Cum conscii essent gravis periculi, tamen mortem sponte acceperunt, persuasi se Domini voluntatem complere.

Ioannes Henricus Villelmus Prassek Hamburgi natus est die XIII mensis Augusti anno MCMXI atque die XIII mensis Septembris insequentis anni baptizatus est. Ab infantia a matre potissimum Maria Anna ad vitam devotam educatus est, quae in eo altae fidei sensus excitavit. Post obitum praematurum matris, patre prorsus neglegente eius educationem, puer commissus est sollerti curae sororum Instituti vulgo appellati *Wilhelmstift* in natali urbe. Hoc iuventutis tempore magis magisque vocationem ad sacerdotium sentiebat. Adiutus a dioecesi et ab Episcopo Osnabrugensi, curricula philosophiae et theologiae explere potuit, atque anno MCMXXXV in Seminarium est acceptus. Die XIII mensis Martii anno MCMXXXVII presbyter ordinatus est et ministerium pastorale Vitemburgae incepit. Duobus elapsis annis, Lubecam

missus est uti primus cappellanus apud ecclesiam Sacratissimi Cordis Iesu. Ibi exemplo eminuit necnon plurimis sedulisque apostolatus operis, conversis in humanas et spiritales curas paroeciae christifidelium. Multi assidue audiebant eius praedicationes dominicales, quae saepius adversationes fiebant doctrinarum atheismi et materialismi, quas regimen nazistarum diffundebat. Hac de causa die XVIII mensis Maii anno MCMXLII Servus Dei apprehensus est a militibus vulgo dictis *Gestapo* et in carcerem Lubecae ductus. Ibi plus quam unum annum vixit in condicionibus durissimis, semper firmiterque fidelis erga Catholicae Ecclesiae doctrinam. Manifeste accepit mortem ut fidem suam defenderet. Die XXIII mensis Iunii anno MCMXLIII capite est damnatus atque die X mensis Novembris eiusdem anni interfectus.

Hermannus Lange natus est die XVI mensis Aprilis anno MCMXII Leriis, in Frisia orientali, e familia funditus Christiana, et aqua baptismali ablutus est in paroecia Sancti Michaëlis die XIX eiusdem mensis. A iuventute firmum desiderium manifestavit totam suam vitam Deo dicandi per sacerdotale ministerium. Dum lyceum frequentabat, sedulo adhaesit motui iuvenili catholico appellato «Nova Germania», qui uti propositum habuit liturgicam spiritalemque Ecclesiae renovationem. Iam his annis coepit eminere irreprehensibilibus moribus, suam ostendens altam devotionem, circumdatam casto reverentique habitu. Plurimi reminiscentur eum constanter Sanctam Missam participavisse fidemque catholicam defendisse. Post expletam maturitatem, Venerabilis Servus Dei nomen dedit studio theologiae apud Universitatem Monasteriensem atque anno MCMXXXVII acceptus est in Seminarium Osnabrugense; eadem in urbe die XVII mensis Decembris insequentis anni presbyter est ordinatus. Paucis post mensibus missus est uti vicarius ad ecclesiam Sacratissimi Cordis Iesu Lubecae, ubi actuose pro iuvenibus est operatus. His in rerum adiunctis liquit eius alta humanitas, adhaesio Evangelio simulque dissensio versus doctrinam Nationalis Socialistae Partis. Nam cum iuvenibus crebro conveniens, semper monebat eos ad vitandum regiminis nazistarum nequam spiritum. Hanc ob apertam eius contentionem contra nazistarum ideologiam, Christianae fidei adversam, Venerabilis Servus Dei die XV mensis Iunii anno MCMXLII in vincula est coniectus a militibus vulgo *Gestapo* et in carcerem Lubecensem ductus. Bene conscius periculi, his mensibus in carcere transactis, ipse non dubitavit umquam testari, docere ac firmiter fidem catholicam defendere. Die XXIII mensis Iunii insequentis anni tribunal nazistarum sententiam proclamavit eum ad mortem damnantem, quae per guillotinam die X mensis Novembris eiusdem anni evenit.

Andreas Paulus Eduardus Müller, ultimus e septem filiis, natus est Novomonasterii die XX mensis Augusti anno MCMXI ex Bernardo Theodoro Eduardo, humili calceolario, et Carolina Agnete Hundeshagen. Post unam hebdomadam ablutus est aqua baptismali in paroecia S. Mariae Vicelin. Ob inopiam suae familiae puer potuit aequam institutionem suscipere solummodo per bonam operam quorundam benefactorum, qui praetium studiorum eius solverunt. Etenim cum ardens desiderium suum sacerdotii magistrae suae atque cappellano Reverendo Domino Schröder aperuisset, ipsi operam attulerunt expensis studiorum eius plane persolvendis. Completo lyceo et adepta maturitate, ipse Monasterii studia philosophiae et theologiae conficere coepit apud studiorum universitatem atque anno MCMXXXIX acceptus est in Seminarium Osnabrugense. Die XXV mensis Iulii anno MCMXL presbyter ordinatus est et statim uti cappellanus adiunctus ad ecclesiam Sacratissimi Cordis Iesu Lubecae missus. Ibi Servus Dei assidue exercuit ministerium sacerdotale. Se pro Christo rege offerre cupiens ferventique missionali spiritu compulsus, mox ipse firmus moderator spiritus fidelibus factus est, praecipue iuvenibus, quibus diligenter se dicavit, plurimas iis actuositates praeparans, etiam itinera quae odiosa erant factioni Iuventutis Hitlerianae. Ipse quoque palam contra destructivas actiones Tertii Regni se declaravit, suosque fortes sensus reprobationis continuo exprimebat. Sicut eius socii, ipse quoque die XXII mensis Iunii anno MCMXLII apprehensus est et morte multatus; eius decapitatio effecta est die X mensis Novembris anno MCMXLIII.

Eorum fama martyrii induxit Archiepiscopum Hamburgensem ut anno MMIV Inquisitionem dioecesanam incoharet. Eius iuridicam validitatem Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per Decretum diei IV mensis Maii anni MMVII. Favorabilis etiam Consultorum Theologorum fuit sententia in Congressu Peculiari die VII mensis Novembris anno MMIX de martyrio horum Venerabilium Servorum Dei. Item Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die VIII mensis Iunii anno MMX habita censuerunt. Demum Nos Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut Decretum super martyrio ederet die I mensis Iulii anno MMX. Inde statuimus ut beatificationis ritus Lubecae, in Germania, die XXV mensis Iunii anno MMXI persolveretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabiles Servos Dei Ioannem Henricum Villelmum Prassek, Andream Paulum Eduar-

dum Müller et Hermannum Lange, presbyteros et martyres, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Varnerii Thissen, Archiepiscopi Metropolitae Hamburgensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Ioannes Henricus Villelmus Prassek, Andreas Paulus Eduardus Müller et Hermannus Lange, presbyteri et martyres, pastores secundum cor Domini Iesu, strenui defensores gregis sibi concrediti, congrui testes liberantis veritatis Evangelii, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die decima Novembris, qua in caelum sunt nati, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem libenti animo decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Iunii anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 147.874

II

Venerabili Dei Servae Dulci Lopes Pontes caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Hoc nostrum donandi opus eo pervenit ut nos ipsos obliviscamur et fratrum nostrorum vitam vivamus ».

Sic Venerabilis Dei Serva Dulcis Lopes Pontes de suo apostolatu loqui solebat, quem continenter in pauperes convertit, in quibus dolentem Christi vultum respiciebat. Studiosa haec caritatis testis, quae in Baptismo Mariae Ritae nomen recepit, die XXVI mensis Maii anno MCMXIV in urbe Sancti Salvatoris in Brasilia, altera de quinque liberis, ex Augusto et Dulce Maria de Souza Brito Lopes Pontes nata est. Sex annos nata matrem amisit et adulescens sedecim annorum id percipere coepit quod per totam eius vitam signaret: caritatem. Suae domus in cellario parvulos, adultos et senes pauperes recipiebat eosque curabat. Ex familia ac proximis cibum, vestimenta, medicamenta ac nonnulos nummulos obtinebat, quae eis aerumnarum levandarum causa tribuebat.

Cum in urbe Sancti Salvatoris in Brasilia scholam de magistris instituendis adiret, Tertium Ordinem Sancti Francisci est ingressa. Diploma consecuta, die VIII mensis Februarii anno MCMXXXIII, ad Congregationem Sororum Missionariarum ab Immaculata Conceptione Matris Dei accessit. Die XV mensis Augusti anno MCMXXXIV vota religiosa nuncupavit et in matris memoriam nomen Dulcis sibi sumpsit atque pharmacopolae curriculum sustinuit. Sua in urbe in « Hispanico sanatorio » nosocomialis fuit voluntaria. Anno MCMXXXV primum operariorum christianum motum sui urbis constituit, scilicet Coetum Operariorum Sancti Francisci. Similia incepta postea suscepit.

Venerabilis Dei Serva Dulcis Lopes Pontes in desertis suae urbis aedificiis aegrotos colligere coepit; anno MCMXLIX de antistitae licentia in proximum suae Congregationis gallinarium, idque aptatum, septuaginta aegrotos recepit. Anno MCMLX Ptochodochium Sociale est inauguratum, addito Statuto quod cuncta eius instituta respiciebat ipsorumque indolem christianam et humanam confirmabat. Mense Iulio anno MCMLXXIX Avelarius S.R.E. Cardinalis Brandão Vilela ad Sancti Salvatoris urbem Matrem Teresiam Calcuttensem invitavit, ut domum in *Algados* oppido constitueret. Soror Dulcis

eam convenit. Anno post Summum Pontificem beatum Ioannem Paulum II convenit. Die VIII mensis Februarii anno MCMLXXXIII valetudinarium Sancti Antonii est inauguratum, quod a Bahianis «sororis Dulcis miraculum» est habitum. Postremis vitae annis in urbe Sancti Salvatoris in Brasilia morbis est correpta. Beatus Ioannes Paulus II urbem Sancti Salvatoris petens eam invisere voluit, qui, Luca S.R.E. Cardinali Moriera Neves, Sancti Salvatoris in Brasilia Archiepiscopo, testante, plus quam semel dixit: «Hic est innocentis dolor. Idem est atque Iesu dolor». Omnia, in Domino confisa, sustinuit adversa, usque ob oculos habens pauperes ad sancti Francisci exemplum.

Die XIII mensis Martii anno MCMXCII in urbe Sancti Salvatoris in Brasilia Venerabilis Dei Serva Dulcis pie in Domino obiit. Statim in archidioecesi beatificationis Causa incohata est. Ibidem dioecesana Inquisitio a die XVII mensis Ianuarii anno MM ad diem I mensis Iunii anno MMI acta est. Postquam de Inquisitionis dioecesanae iuridica validitate Decretum die VII mensis Novembris anno MMI prodiit, Theologi Consultores eodem tempore in Congressione Peculiari die XV mensis Aprilis anno MMVIII coadunati, suffragati sunt Servae Dei virtutibus, heroum in modum exercitis, atque idem censuerunt Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die XX mensis Ianuarii anno MMIX coadunati. Sic Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super virtutibus die III mensis Aprilis anno MMIX evulgaret. Beatificationis causa alicuius dominae sanatio exhibita est, gravi profluvio sanguinis post partum correptae. Medici Consultores die VII mensis Maii anno MMIX ad scientiam inexplicabilem iudicarunt talem sanationem et Congressio Peculiaris Consultorum Theologorum die V mensis Decembris anno MMIX eiusdem Venerabilis Dei Servae intercessioni adscripsit. Eadem fuit sententia Patrum Cardinalium et Episcoporum in Sessione Ordinaria die XXVI mensis Octobris anno MMX coadunatorum. Itaque Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo die X mensis Decembris anno MMX ederet atque statuimus ut beatificationis ritus in urbe Sancti Salvatoris in Brasilia die XXII mensis Maii anno MMXI celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Dei Servam Dulcem Lopes Pontes adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Geraldi Majella S.R.E. Cardinalis Agnelo, Archiepiscopi olim Metropolitae Sancti Salvatoris in Brasilia, necnon plurimo-

rum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Dulcis Lopes Pontes, in saeculo Maria Rita, virgo, professa Congregationis Sororum Missionariarum ab Immaculata Conceptione Matris Dei, quae, prorsus divinae confidens Providentiae, se praebuit exclusis et aegrotantibus pauperrimis iuvandis, in quibus agnovit dilectum vultum Iesu Crucifixi, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die decima tertia Augusti, qua in caelum est nata, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Maii, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 168.962

HOMILIAE

I

In Festivitate Praesentationis Domini – Occasione XVII Diei Vitae Consecratae dicati.*

Cari fratelli e sorelle!

nel suo racconto dell'infanzia di Gesù, san Luca sottolinea come Maria e Giuseppe fossero fedeli alla Legge del Signore. Con profonda devozione compiono tutto ciò che è prescritto dopo il parto di un primogenito maschio. Si tratta di due prescrizioni molto antiche: una riguarda la madre e l'altra il bambino neonato. Per la donna è prescritto che si astenga per quaranta giorni dalle pratiche rituali, dopo di che offra un duplice sacrificio: un agnello in olocausto e una tortora o un colombo per il peccato; ma se la donna è povera, può offrire due tortore o due colombi.[1] San Luca precisa che Maria e Giuseppe offrirono il sacrificio dei poveri,[2] per evidenziare che Gesù è nato in una famiglia di gente semplice, umile ma molto credente: una famiglia appartenente a quei poveri di Israele che formano il vero popolo di Dio. Per il primogenito maschio, che secondo la Legge di Mosè è proprietà di Dio, era invece prescritto il riscatto, stabilito nell'offerta di cinque sicli, da pagare ad un sacerdote in qualunque luogo. Ciò a perenne memoria del fatto che, al tempo dell'Esodo, Dio risparmiò i primogeniti degli ebrei.[3]

È importante osservare che per questi due atti — la purificazione della madre e il riscatto del figlio — non era necessario andare al Tempio. Invece Maria e Giuseppe vogliono compiere tutto a Gerusalemme, e san Luca fa vedere come l'intera scena converga verso il Tempio, e quindi si focalizzi su Gesù che vi entra. Ed ecco che, proprio attraverso le prescrizioni della Legge, l'avvenimento principale diventa un altro, cioè la « presentazione » di Gesù al Tempio di Dio, che significa l'atto di offrire il Figlio dell'Altissimo al Padre che lo ha mandato.[4]

* Die 2 Februarii 2013.
[1] Cfr *Lv* 12, 1-8.
[2] Cfr 2, 24.
[3] Cfr *Es* 13, 11-16.
[4] Cfr *Lc* 1, 32. 35.

La misura mensile della pensione privilegiata di inabilità è determinata in conformità all'Art. 22 del *Regolamento Generale del Fondo Pensioni*, riconoscendo comunque all'interessato un'anzianità pensionabile pari ad anni 40.

Art. 10

Effetti della riattivazione del rapporto di lavoro

1. Nei confronti di titolari di trattamento pensionistico di anzianità che ricostituiscono un rapporto di lavoro dipendente con uno degli Organismi o Enti di cui all'Art. 1 dello *Statuto del Fondo Pensioni* è sospesa la erogazione del trattamento pensionistico per tutta la durata del nuovo rapporto.

2. Ai casi di specie si applica l'Art. 23 del *Regolamento Generale del Fondo Pensioni.*

CAPO II

Pensioni indirette o di reversibilità

Art. 11

Familiari superstiti aventi diritto a pensione

Per quanto attiene al trattamento di pensione indiretta o di reversibilità si applicano gli Artt. 3, 4 e 24 del vigente *Regolamento Generale del Fondo Pensioni.*

CAPO III

Disposizioni comuni

Art. 12

Trattamento minimo delle pensioni

Ai titolari di pensione diretta, indiretta o di reversibilità si applica l'Art. 25 del *Regolamento Generale del Fondo Pensioni.*

Art. 13

Assegno per il nucleo familiare e di disabilità
e Provvidenze a favore della famiglia

Ai titolari di pensione diretta, indiretta o di reversibilità è attribuito il trattamento di famiglia — assegno per il nucleo familiare o assegni familiari, assegno mensile di disabilità e altre Provvidenze a favore della famiglia — in conformità alla normativa vigente tempo per tempo.

Art. 14

Tredicesima mensilità

L'importo mensile complessivo del trattamento pensionistico viene corrisposto tredici volte all'anno.

Al pensionato spettano tanti dodicesimi della tredicesima quanti sono i mesi interi di diritto al trattamento pensionistico.

Art. 15

Estinzione di posizioni previdenziali

All'appartenente al Corpo della Gendarmeria che. alla cessazione del rapporto di lavoro, non maturi il diritto a prestazioni pensionistiche, si applica l'Art. 11 del *Regolamento Generale del Fondo Pensioni.*

TITOLO IV

DISPOSIZIONI FINALI E TRANSITORIE

Art. 16

Attivazione delle prestazioni del Conto speciale

1. Dal 1° giugno 2013, data di entrata in vigore per presente *Regolamento particolare*, decorre l'obbligo di versare sul Conto Speciale del Fondo Pensioni i contributi di cui al precedente Art. 3.

2. Dalla stessa data sono addebitate al medesimo Conto le prestazioni erogate dal Fondo Pensioni.

Art. 17

Applicabilità del Regolamento particolare

Le presenti Norme si applicano agli appartenenti al Corpo della Gendarmeria in servizio alla data di entrata in vigore del presente *Regolamento particolare* e a coloro che sono successivamente assunti.

Art. 18

Disposizioni di rinvio

Per quanto non specificatamente disposto dal presente Regolamento *particolare* si applicano, in quanto compatibili, le norme del *Regolamento Generale del Fondo Pensioni* e del *Regolamento proprio del Corpo della Gendarmeria.*

Art. 19

Norme di attuazione

Eventuali nonne di attuazione del presente *Regolamento particolare* possono essere emanate con provvedimento della Segreteria di Stato.

Il presente Regolamento particolare è stato approvato dal Sommo Pontefice Benedetto XVI il 27 febbraio 2013.

Città del Vaticano, 27 Febbraio 2013.

✠ Tarcisio card. Bertone
Segretario di Stato

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

SANCTI CHRISTOPHORI DE HABANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Felicis Francisci Iosephi Mariae a Conceptione Varela Morales, Sacerdotis dioecesani (1788-1853)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Miles Iesu Christi esse volo. Cordi est mihi non homines perdere, sed animas salvare ».

Haec a Servo Dei Felice Francisco Iosepho Maria a Conceptione Varela Morales mox quattuordecim annos nato coram familiares effata verba omnem eius summopere informant conversationem, cui, licet inter angustias ac difficultates, fidelis semper adhaesit. Praecelsae, enim, eius indolis facultates super humanas Cubanae historiae res eminent, sicut et praeclarae probitatis dotes necnon christianae et sacerdotales virtutes. Iter eius vitae tempora terrarumque emensum est locos, quos imae illae civilis cultus et societatis rerumque publicarum conversiones, magnis praesertim impellentibus in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et in Gallia gestis perturbationibus, distinguunt.

Habanae die 20 mensis Novembris anno 1788 natus, Servus Dei septimo die post ad baptismalem fontem ductus est. Primam infantiam in insula Cuba degit, quae tunc pars erat Regni Hispaniae. Anno autem 1794, mortua matre vacanteque patre, qui exercitus hispanici erat centurio, parvulus Felix patruum quendam secutus est in civitate Sancto Augustino in Floridae dicione, quae etiam provincia erat Hispaniae. Post aliquot annos, patre quoque vita functo, Servus Dei, cui revera fulgidus iam paratus erat cursus honorum castrensis, vocationem ad sacerdotium anteposuit insequendum, quam ceterum inde a pueritia animadverterat. Proinde, urbem Habanam repetiit,

ubi Collegium et Seminarium Sanctorum Caroli et Ambrosii frequentavit et, curriculo institutionis omnino expleto, die 21 mensis Decembris anno 1811 presbyteratu auctus est.

Magistri philosophiae et iuris mandatis in eodem Collegio acceptis, vivido ingenio gravique intellectu emicuit. De rebus philosophicis celebratum scripsit librum, quo etiam alia Collegia dein usa sunt, societatemque pro litteris colendis fundavit, quae, super semitas incedens spiritus reformationis illius in Europa inflantis, conspicuum deinceps momentum pondusque tenuit in populi dignitate quoad rem socialem et oeconomicam provehenda. Merita eius omnes in disciplinae atque humanitatis acie ita professi sunt, ut, anno 1821, Servus Dei populi Cubani apud Consilium Publicum Matritense procurator eligeretur. In Hispaniam, igitur, se contulit, ubi tres annos incubuit, sedulus sollersque eiusdem patriae civium necessitatum factus interpres: nam, inter alia, rogationum de servitute eximenda ac de Americae provinciis libertate tribuenda eximius fuit lator.

Omnia autem haec, de quibus felicissime sperare licebat, infelicissimum tamen habuerunt exitum. Anno 1823, enim, rex Ferdinandus VII, Gallico exercitu subnixus, potestatis regni repetendae et constitutionis reipublicae abolendae consilium prodidit atque eo processit, ut primos rerum publicarum et militarium peritos viros poena capitis sanciret. Inter hos etiam Servus Dei fuit, qui comprehensionem et supremam damnationem in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis delitescens fugere valuit.

Nova eius Patria Novum Eboracum fuit, ubi triginta fere annos mansit, primum utpote exsul rerum publicarum causa, dein parochus et Vicarius Generalis dioecesis nuperrime creatae. Hac in Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis urbe, quae tunc temporis uberrimo celerrimoque fruebatur incremento, navitatem suam pastoralem omni cum benignitate exercuit. Novis ecclesiis exstruendis, necnon operibus socialis actuositatis et scholis pro infantibus puerisque suscitandis atque inceptis pro innumeris migrantibus ex Europa ac praesertim Hibernia suscipiendis vacavit. Pauperes simul et infirmos mira extulit cura, quam singulari modo in cholerae tabe anno 1830 grassante patefecit. Crebras inter suas has actuositates civilis cultus provectum nullomodo neglexit, quem iam prius eius animum et ingenium signaverat: translationes textuum curavit et multa sive Hispanica sive Anglica lingua composuit opera de philosophia, scientiis, politica ac religione, doctrinam catholicam strenue propugnavit et servitutis destitutionem libertatemque Cubae identidem invocavit.

Exemplum fuit sacerdotis de salute animarum valde solliciti ac fervida orationis vita ardentique erga Deum et proximum caritate profunde suffulti. Exercitium cotidianum virtutum constans eius fuit conversationis calcar. Praesentiam Domini Iesu inter populum assidue professus est, cuius indefesse fovit profectum civilem et spiritualem, et enixam pro communitate christifidelium aedificanda, omnibus benigne acceptis singulorumque recognitis donis, navavit operam.

Adeo in annos multiplicatam venit in aestimationem, ut Vicarius Generalis dioecesis Neo-Eboracensis nominaretur et ad Tertium Concilium Catholicum Provinciale Baltimorense mitteretur. Molestiis respirationis admodum laboratus, ultimos annos summa in paupertate degit, inter Novum Eboracum et Floridam semper secundo requisito caelo discedens. In civitate Sancto Augustino, ubi infantiam vixerat, die 18 mensis Februarii anno 1853 pie in Domino quievit.

Ob eius sanctitatis famam Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Sancti Christophori de Habana instructa est per Inquisitionem dioecesanam habitam a die 21 mensis Ianuarii ad diem 15 mensis Augusti anno 1996, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 6 mensis Decembris eiusdem anni probatae sunt, sicut et, die 15 mensis Ianuarii anno 1999, Supplementum Inquisitionis apud Curiam Episcopalem Bruklyniensem a die 22 ad diem 26 mensis Iunii anno 1998 apparatum.

Positione confecta, die 30 mensis Ianuarii anno 2001, Sessio Consultorum Historicorum habita est. Die 13 mensis Decembris anno 2011, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 6 mensis Martii anno 2012, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Sigismundi Zimowski, Archiepiscopi-Episcopi emeriti Radomensis, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Felicis Francisci*

Iosephi Mariae a Conceptione Varela Morales, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 14 mensis Martii A. D. 2012.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VICARIATUS APOSTOLICUS MENDEZENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Troncatti, Sororis professae e Congregatione Filiarum Mariae Auxiliatricis (1883-1969)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Troncatti in vico v.d. *Córteno Golgi* in provincia et dioecesi Brixiensi die 16 mensis Februarii anno 1883 nata est. Cum in sui tutelam venerit, Institutum Filiarum Mariae Auxiliatricis ingressa est et anno 1908 vota perpetua pronuntiavit. Totius mundi bello grassante, muneribus infirmorum ministrae et dominae a Cruce Rubra pro sauciis reficiendis Varaginis intra muros Valetudinarii Castrensis functa est; dein, Niciam missa, tamquam infirmorum ministra et catechista inserviit, cuicumque operi et labori in magna communitate Domus Matris Instituti exercendo semper prompta. Anno 1922, ad postulatum ab ipsa iam novitiatu exeunte delatum, in Aequatoriam per Amazoniae orientalis silvae recessus missa est, ubi varia medicinae opitulationisque gessit officia atque indefessam in catechesi tradenda et praesertim in enixa ac peculiari orphanorum aegrotorumque derelictorum et puerorum, quos saepius atroces lues

vexabant, pane institutioneque omnino egentium «maternitatis spiritualis» specie sedulam operam iugiter navavit. Populus nomine «bonae materculae» eam nuncupavit. Die 25 mensis Augusti anno 1969, parva aëria praecipitata nave, qua e missione ad aliam urbem devehebatur, ut exercitia spiritualia expleret, Serva Dei ad domum Patris remeavit. Summus Pontifex Benedictus XVI die 8 mensis Novembris anno 2008 Servam Dei virtutes in modum heroum coluisse decrevit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem, intra fines Archidioecesis Portus Veteris in provincia Manabiensi in Aequatoria eventam, dominae Iosephae Iolandae Solórzano Pisco, quae, mense Aprili anno 2002, signa aegritudinis animadvertere coepit, simplicis influentiae affectionis instar excepta. Valetudo vero eius gradatim adeo vehementior evasit, ut paucos intra dies infirma, quae interdum in nosocomium recepta erat, condiciones generales pergravis prostrationis exhiberet, aspera cephalea abdominisque doloribus vomituque et nausea ac diffuso pallore comitantibus. Sequentibus diebus, novae etiam eminuerunt aerumnae, scilicet acria et producta haematomata, saevissimi impetus febris deliriaque crebra, unde correptio ita crudescebat incita, ut aegrota demum in lethargo comatis iamiam consopiretur.

His in gravissimis adiunctis, propinqui atque amici Iolandae obtinuerunt, ut aegrota e valetudinario dimitteretur et intra muros domus suae mori posset. Quibus autem sacerdos quidam e Societate Sancti Francisci Salesii animi eminentiam Servae Dei proposuit contemplandam eosque adhortatus est, ut ad divinum confugerent auxilium per eiusdem intercessionem Iolandae exposcentes sanationem. Et ad lucem diei 10 mensis Maii anno 2002, omnes infirmae conscientiae conspexerunt recuperationem et pristinorum omnium vitalium facultatum refectionem, scilicet icteri aversionem, normalem respirationem, dolorum articularium imminutionem et loquendi facultatem.

Clarissime continuatio temporis patuit, sicut et nexus inter invocationem Venerabilis Servae Dei et sanationem Iosephae Iolandae Solórzano, quae etiamdum optima gaudet valetudine normalesque exinde vitae consuetudines gerit.

De hac mira habita sanatione apud Curiam Archiepiscopalem Portus Veteris a die 21 mensis Iulii ad diem 12 mensis Septembris anno 2008 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congre-

gatione de Causis Sanctorum Decreto diei 13 mensis Februarii anno 2009 probatae sunt. Acta dein collecta examini et iudicio Collegii Medicorum Dicasterii subiecta sunt, quod in Sessione diei 7 mensis Aprilis anno 2011 una voce ac sententia sanationem rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit. Die 22 mensis Octobris anno 2011, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est ac, die 21 mensis Februarii anno 2012, Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Francisco Cardinale Monterisi. Et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae Troncatti, Sororis Professae e Congregatione Filiarum Mariae Auxiliatricis, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione dominae Iosephae Iolandae Solórzano a « malaria grave da "plasmodium falciparum" con insufficienza multiorgano ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Maii A. D. 2012.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BERGOMENSIS seu OENIPONTANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Thomae ab Olera (in saec.: Thomae Acerbis), Laici professi ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum (1563-1631)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Thomas ab Olera (in saeculo: Thomas Acerbis) anno 1563 exeunte in vico *Olera*, in Valle Seriana, intra fines provinciae Bergomensis natus est. Inopiam et labores, armentarii negotiis usque ad duodevicesimum aetatis annum vacans, cum parentibus communicavit. Anno 1580, habitum Fratrum Minorum Capuccinorum Provinciae Venetorum induit atque Veronae, Vicentiae et Rovereti humillimo stipis colligendae servitio addictus est et, anno 1619, Archiducis Tirolis petitu, Oenipontem eleemosynas quaeritans missus. Oboedientia et humilitas eum fecerunt quinquaginta fere annos «fratrem stipis mendicandae», amor animarum vero «apostolum per domos»: testimonium, enim, perhibuit Evangelii, disseruit de Deo, sive humiles sive magnos fidem edocuit atque in reconciliationem et veniam constanter adhortabatur, visitabat reficiebatque infirmos, pauperibus aures praebebat ac fovebat, malum deferebat. Sicut dictitabat: «ex placitis plagis discimus Christi». Ducum Bavariae amicus fuit et monitor. Beatissimae Mariae Virginis amantissimus, in scriptis suis eidem tribuit titulum Immaculatae Conceptionis. Oeniponte, die 3 mensis Maii anno 1631, in Domino quievit corpusque eius in crypta cappellae Deo sacrae in honorem Beatae Mariae Virginis intra muros ecclesiae Capuccinorum sepultum. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 23 mensis Octobris anno 1987 decrevit eum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem domini Valerii Bartholi Valentino, qui Thiene prope Vicentiam, mense Ianuarii anno 1906, pergravi et eo tempore ob inefficaciam curarum propriarum valde perfuso morbo typhi correptus est. Condiciones clinicae aegroti brevi corruerunt, admodum progredientibus valetudine variisque angustiis ipsi coniunctis. In quindecim diebus infirmus, ingenti ac constantissimo febris aestu affectus, in

statum agonicum ita cecidit, ut familiares sacerdotem ad ultima sacramenta ministranda vocarent.

His in gravissimis adiunctis, fratre quodam ex Ordine Capuccinorum adhortante, familia Valerii Bartholi una cum amicis ad divinum confugere statuit auxilium, ut, Venerabilis Servi Dei intercessione, eiusdem valetudinis sanationem impetraret. Imaguncula cum effigie Thomae ab Olera sub pulvinum infirmi collocata est. Et exinde statim spectandus profectus condicionum aegroti conspectus est, qui, omnibus admirantibus, usque ad completam et firmam sanationem rapide processit.

Continuatio temporis clarissime patuit, sicut et nexus inter invocationem Servi Dei et completam Valerii Bartholi Valentino sanationem, qui exinde perfectam corporis et animae praestantiam resumpsit.

De hac mira habita sanatione apud Curiam Episcopalem Bergomensem a die 26 mensis Octobris anno 2006 ad diem 3 mensis Octobris anno 2007 Inquisitio Dioecesana acta est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 16 mensis Ianuarii anno 2009 probatae sunt. Acta dein collecta examini et iudicio Collegii Medicorum Dicasterii subiecta sunt, quod in Sessione diei 24 mensis Februarii anno 2011 una voce ac sententia sanationem rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam fuisse affirmavit. Die 22 mensis Octobris anno 2011, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu factus est ac, die 7 mensis Februarii anno 2012, Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, cui ego Card. Angelus Amato, S.D.B., Praefectus, praesedi, Ponente Causae Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Paulo Cardinale Sardi, et in utroque coetu sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Thomae ab Olera (in saec.: Thomae Acerbis), Laici professi ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione domini Valerii Bartholi Valentino a « gravissimo ileo tifo, complicato da polmonite ipostatica in bronchite diffusa, con miocardite, iperpiressia continua a 40º, stato agonico con imminente pericolo di morte ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Maii A. D. 2012.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FLAVIOBRIGENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Raimundi Ioachimi Castaño González et Iosephi Mariae González Solís, Sacerdotum professorum Ordinis Fratrum Praedicatorum († 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur» (*2 Tim* 3, 12).

Inter fideles, qui Christum secuti sunt in evangelicis mandatis intra Ordinem Fratrum Sancti Dominici profitendis et pati maluerunt persecutionem ac vitam offerre quam Dominum abiurare, presbyteri Raimundus Ioachimus Castaño González et Iosephus Maria González Solís summopere praestant, qui, tempestatibus persecutionis religiosae in Hispania annis 1936-1939 grassantibus, tormentis, vexationibus humiliationibusque acceperunt excruciari, ut fidelitatem Christo eiusque Ecclesiae firmiter servarent. Una eadem christiana, religiosa et sacerdotali solidati vocatione, consociati etiam in discriminibus vitae perstiterunt mutuo sese exhortantes, donec palmam

gloriosam susceperunt, et, indefesse concaptivos suscitantes ac corroborantes, locum immo detentionis in campum convertere valuerunt apostolatus.

1. Raimundus Ioachimus Castaño González in vico *Mieribus*, in regione Asturiarum, in Hispania die 20 mensis Augusti anno 1865 natus est et eodem die ad regenerationis fontem ductus. Argutus ingenio et ad studium proclivis, alumnus fuit Seminarii dioecesani Ovetensis. Anno 1880 novitiatum Fratrum Praedicatorum Coriasensem ingressus est et professionem religiosam die 5 mensis Novembris anno 1881 emisit. Presbyteratu auctus die 21 mensis Septembris anno 1889, sedulum navavit ministerium praedicationis, in quo etiam cum promptum Provinciae religiosae Baeticae instaurandae se praebuit, perseveravit. Prior fuit Conventus Xeritensis et magister theologiae in Almagrensi. Anno 1910 Vianam de Castro missus est ad Provinciam Lusitaniae reficiendam. Hinc in Hispaniam anno 1911 rediit, ubi multis in regionibus ministerium praedicationis et spiritualis moderationis perrexit. Anno 1922, cum Prior erat Conventus Palentini, Praedicatoris Generalis titulum promeruit. Ab anno 1927 Matritum destinatus est. Anno 1932, Vicarius Monialium Sancti Dominici Quedianae prope Alabam nominatus est, quo munere functus est usque ad diem comprehensionis. Ministerium eius, saepe etiam ad sacerdotes versum, e vita orationis et studii, ex observantia Regulae et e spiritu paenitentiae sicut e fonte manabat. Benignus erat, magna spe refertus, hilaris et Sanctissimae Eucharistiae, Sacratissimo Cordi Iesu ac Beatissimae Virgini a Rosario summopere devotus. Prelo dedit enchiridion de oratoria sacra, tractatus multiformes ac vitam Sancti Dominici et de Gallico sermone vertit opera omnia illius Fratris Henrici Dominici Lacordaire.

2. Iosephus Maria González Solís in vico Sanctobalneo de Muriis, prope Alloriam, in regione Asturiarum, in Hispania die 15 mensis Ianuarii anno 1877 natus est et eodem die ad regenerationis fontem ductus. Professionem religiosam in Conventu Praedicatorum Coriasensi die 3 mensis Ianuarii anno 1894 emisit. Die 10 mensis Martii anno 1900 presbyteratu auctus, multos annos ad magisterium in Collegio Sancti Ioseph in vico Vergara apud Jupuscoam ac dein Segoviae et Vallisoleti incubuit. Conventibus etiam Patronensi, prope Cruniam, et Salmanticae deputatus est. Ab anno 1926 ad Conventum Matritensem destinatus est, ut munere fungeretur oeconomi provincialis. Regulari observantia diligens exactusque, religiosam impensius vixit consecrationem oratione, eucharistica pietate et actuositate insignem.

Hi duo testes fidei apud domum Monialium Sancti Dominici vicarialem Quedianensem convenerint, ubi Pater Raimundus Castaño ministerium suum exercerbat. Huc die 1 mensis Iulii anno 1936 Pater Iosephus Maria González Solís pervenerat, ut quietem caperet propter infirmam valetudinem et exercitia spiritualia praedicaret. In hoc tempore autem persecutio contra religionem adeo saeviore impetu ad immanitatem incesserat, ut Servi Dei et communitas ipsa religiosa magno metu mortis opprimerentur. Nam, die 25 mensis Augusti, comprehensi sunt et Flaviobrigam deportati; dein, paucis post diebus, in actuariam erecti ad ripam fluminis loci religatam, iugibus subiecti sunt vexationibus, humiliationibus atque iniuriis, quas pro defendenda fide fortiter tulerunt. Noctu inter dies 2 et 3 mensis Octobris anno 1936, persecutores eos super pontem navigii pertraxerunt et plumbis transfoderunt. Cadavera sepulta sunt intra muros coemeterii civici Sancturcensis et die 18 mensis Novembris anno 1938 in mausoleum Visus Laeti in vico Derio transposita, ubi eorundem exuviae adhuc requiescunt in exspectatione resurrectionis.

Servi Dei iam inde a die natali ab omnibus tamquam martyres fidei habiti sunt eorundem martyrii fama in annos corroborata est, cum relationes concaptivorum provulgatae sunt. Quapropter apud Curiam Episcopalem Flaviobrigensem, a die 1 mensis Iunii anno 1960 ad diem 24 mensis Novembris anno 1961, Processus Ordinarius super martyrio Servorum Dei celebratus est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 10 mensis Octobris anno 1997 probatae sunt.

Positione confecta, iuxta suetum morem, die 4 mensis Septembris anno 2009, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est, in quo prospero cum exitu disceptatum est an Servorum Dei mors verum martyrium fuisset. Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt in Sessione Ordinaria quam ego, Card. Angelus Amato, S.D.B., praesedi die 21 mensis Februarii anno 2012, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titularis Cilibiensis, Causae Ponentis, agnoverunt supradictos Servos Dei ob fidelitatem erga Christum et Ecclesiam confessam verum martyrium in odium fidei passos esse.

De hisce omnibus rebus, referente infrascripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Raimundi Ioachimi Castaño González et*

Iosephi Mariae González Solís, Sacerdotum professorum ex Ordine Fratrum Praedicatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Maii A. D. 2012.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

COMPOSTELLANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Balthasaris Pardal Vidal, Sacerdotis dioecesani Fundatoris Instituti Saecularis Filiarum a Nativitate Mariae (1886-1963)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum caelorum » (*Mt* 19, 14).

Haec verba Iesu singulari ac mira evidentia Servi Dei Balthasaris Pardal Vidal vitae personant eiusque spiritualitatem et opera summopere perstringunt: qui, enim, Dominum dilexit super omnia et pro bono fratrum, praesertim puerorum, iugiter enisus est, considerans scientiam atque exercitium magisterii tamquam missionem Dei regno semper promptam.

Servus Dei die 18 mensis Augusti anno 1886 in vico Sancta Christina de Feria prope Coronam in Hispania, ex humillima agricolarum familia christianis mandatis penitus informata, natus est. Adulescens Seminarium

Sancti Martini de Pinario Compostellanum ingressus est, apud quod gymnasium frequentavit et cursus studiorum philosophiae et theologiae confecit. Evangelica austeritas, quam illis in annis in seipso expertus est, cum vocationem suam ad catechesim iamiam repperit, omnem eius sacerdotis atque apostoli naturam peculiariter extudit. Anno 1909, licentiam in sacra theologia adeptus et subdiaconus ordinatus est. Sequenti vero anno, diaconatu ac dein presbyteratu adauctus est, sed in Seminario usque ad annum 1912 mansit, ut lauream in iure canonico adsequeretur.

Iuvenis sacerdos, diversis officiorum muneribus functus est, exempli gratia Coadiutoris, Canonici Regiae ecclesiae collegiatae Coroniensis, Moderatoris dioecesani Doctrinae christianae tradendae, sub-delegati dioecesani pro Missionibus, cappellani monasterii Monialium Sancti Francisci Capuccinarum, praedicatoris, relatoris in academicis sessionibus et scientiae institutionis periti. Ministerio vix ineunte, peculiarem pro bono minimorum alacritatem iam fundere coepit, catechesim praesertim curans intra fines pauperis insulae Atochae, quae pars erat civitatis Coroniae, cuius cappellanus constitutus erat. Iam inde a primo suo adventu opum spiritusque miseriam in pueris insulae sensierat, quos revera famis et egestas admodum macerabant. Ex quo scilicet sicut et tacito reconditoque ex labore «Magnum Opus de Atocha» illud exortum est, quod caelesti Iesu Eucharistici et Beatissimae Mariae Virginis praesidio commisit, hoc «Nigritae», alterum vero «Pueri Iesu Uvarum et Segetum» nuncupans nomine, pro humano et christiano puerorum matrumque provectu atque evangelica familiarum instauratione. Radix ac fulcimen universae eius institutionis rationis principium fuit «primum et praestantissimum librum magistro puerum esse». Licet per ardua atque angusta, Servus Dei patienter atque aequo animo ad integralem hominum institutionem et fervorem in doctrina christiana praecipienda omni studio enisus est, ut religionis, caritatis ac civilis cultus in insula ipsi commissa suscitaret pareretque augmentum.

Evangelium laetanter firmiterque nuntians, Servus Dei spiritualitatem eucharisticam cum pastorali actuositate efficaciter coniunxit, etiam asperrimis in persecutionis religiosae per Hispaniam saevientis angustiis, cum rerum gerendarum ratio acri odio contra ecclesiam inflata Opus eius praeclusit. Navitas eius profunda humilitate, tranquilla firmitate et mira erga Deum et parvulos caritate, necnon iugi Christo, Beatissimae Mariae Virgini, Ecclesiae et populi Dei necessitatibus fidelitate eminuit.

Praeter apostolicum apud Magnum Opus ab ipso profusum laborem atque suipsius plenam et benignam oblationem secundum dioecesim, navam inter dioeceses sive in patria sive ubique per orbem diffusas exercuit actuositatem. Servus Dei, enim, doctrinae christianae praeceptorum in universa Archidioecesi summa alacritate instauravit enarrationem et totam Hispaniam peragravit, ut institutorum et scholarum eorumque docendi rationum certiorem se faceret; anno 1927 ab Alfonso rege XIII in audientiam acceptus est, qui Magnum Opus de Atocha cum regina Victoria Eugenia vixdum visitaverat; variis, insuper, Congressibus interfuit, in quos periti sive ex tota Hispania sive undique ex mundo conveniebant. Institutum saeculare Filiarum a Nativitate Beatae Mariae Virginis fundavit, quod, anno 1951 probatione dioecesana ac die 1 mensis Novembris anno 1977 pontificia recognitione receptis, originali missionario mandatui concors, operam institutionis perseverans per omnia territoria Americae dimanavit, ubi Servus Dei ipse adfuit, ut novas constitueret fundationes.

Morbus, vero, qui iam inde a pueritia Balthasarem prostraverat et diutinis ieiuniis obstrinxerat, ab octava ineunte vicesimi saeculi decade valde in dies recrudescere incepit. Die 19 mensis Februarii anno 1963, Servus Dei pergravi cerebrali embolia correptus est et die 3 sequentis mensis Martii pie in Domino quievit. Innumeri exsequiis interfuerunt, clerus et populus fidelis, testimonium praebentes sive affectus erga «bonum pastorem» illum sive ipsius etiam sanctitatis, qua vivus iam succinctus fuerat.

Ob eius sanctitatis famam Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Compostellanam instructa est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 19 mensis Decembris anno 1996 ad diem 30 mensis Novembris anno 2001, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 4 mensis Aprilis anno 2003 probatae sunt. *Positione* confecta, die 6 mensis Novembris anno 2010, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Februarii anno 2012, audita relatione Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Velasii Cardinalis De Paolis, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno

die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Balthasaris Pardal Vidal, sacerdotis dioecesani, fundatoris Instituti saecularis Filiarum a Nativitate Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Maii A. D. 2012.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Iosephae a Sanctissimo Sacramento (in saeculo: Mariae Iosephae Recio Martín), Fundatricis Congregationis Sororum Hospitalariarum a Sacratissimo Corde Iesu (1846-1883)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Caritatem et patientiam pauperibus aegrotis largimini, et inter vos gerite sicuti verae matres ».

Verba haec Servae Dei Mariae Iosephae a Sanctissimo Sacramento hospitalariam virtutem summopere perstringunt, quae in mundo suam conversationem: purus, enim, amor erga Deum et plena suipsius secundum infirmas oblatio manifesta sunt uti virtutum illarum facies, caritatis scilicet et humilitatis, quae totam vitam eius exundat.

Serva Dei die 19 mensis Martii anno 1846 Granatae in Hispania nata est e modesta familia christianis mandatis penitus informata. Biduo post ad regenerationis fontem paroeciae Sanctorum Iusti et Pastoris Martyrum ducta est. Patre orbata, iuvenis Iosepha artem didicit sartricis, qua familiae subvenire valuit. Laborem etiam exercuit apud domos insignium quarundam civitatis dominarum, quae, cuius iucundam ac benignam, simplicem et honestam indolem pietati moribusque exemplaribus coniunctam pernoscebant, opera caritatis conficienda eidem commiserunt, ut auxilium sive singulis sive familiis suppeditaret.

Anno 1864, Iosepha nupsit et coniugium matrimoniale muliebri devotionis obsequio ac profunda fide vixit, quibus conversioni mariti valde profuit eumque in intimiore consuetudine filiali cum Deo paulatim excolenda adiuvit. Post tria matrimonii quinquennia, numquam maternitatis laetitia cohonestata, vidua facta est.

Anno 1871, cum Maria ab Angustiis Giménez Vera iunxit amicitiam, quae in sodalitium spirituale valde profecit eamque propioris communionis cum Deo instaurandae affecit beneficio. Haec, enim, propositum suum ei ostendit sese omnino Domino consecrandi vitamque religiosam amplectendi, necnon et institutum pro operibus caritatis fundandi, quibus confisis Serva Dei reddidit: « Minime vero! his noli credere, quia, donec tecum non essem, haec haud impetrabis ».

Sancto Benedicto Menni, presbytero ex Ordine Hospitalario Sancti Ioannis de Deo utriusque moderatore spirituali, duce, ambae amicae verbis panderunt quam putabant voluntatem esse Dei atque, ipso docente, adeo in spirituali perfectione caritatisque actuositate processerunt, ut post tempus discriminis, consilium Dei inquirentes, superatis reluctationibus, benigne in urgentias concederent mente captos suscipiendi et curandi ac, die 31 mensis Maii anno 1881, Congregationem Sororum Hospitalariarum a Sacratissimo Corde Iesu ad hoc Ciemposuelii simul fundarent, sub Beatae Mariae Virginis Dominae Nostrae a Sacratissimo Corde Iesu caelesti praesidio.

Maria Iosepha Recio Martín simplicitate et proximitate omnium atque summa in humillimis abditissimisque laboribus sui abnegatione, immolationis spiritu et miro materni erga aegrotas mente captas officii testimonio usque ad extremum periculum vitae eminuit. Spiritualitatem contemplativam vixit, quae eam adduxit, ut omnibus in rebus hominibusque praesentiam inquireret ac reperiret Dei, quem suipsius cordis fecit radicem. Tamquam consecrata et prima Superiorissa Congregationis, sedulissimam

operam navavit, ut communitates ab ipsa institutae mutua caritate et peculiari cordium conciliatione servitium praestarent. Conversatio eius sincera voluntatis Patris inquisitione per spiritualem moderationem cotidianumque occursum Iesu in Eucharistia et assiduam orationem innisa est.

Mense Augusto anno 1883, Serva Dei duabus Sororibus auxilio accurrit, quae cuidam aegrotae mente captae admodum exagitatae assidebant. Attamen infirma, improvise ad eam conversa, Matrem Mariam Iosepham vehementissime sauciavit. Haec, vero, posthabitis ictibus, Beatissimae Virgini Mariae omnino confisa, nullo modo sese quicquam pensi habuit et mulierem illam sociasque Sorores tantum curare voluit; sed e vulneribus in eo susceptis facinore die 30 mensis Octobris anno 1883 in Domino quievit, ita ut eius vita verum illius sententiae « maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis » (*Gv* 15, 13) fuerit testimonium.

Ob eius sanctitatis famam, qua iam ex longo tempore Serva Dei fruebatur, Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Archiepiscopalem Matritensem instructa est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 21 mensis Iunii anno 1991 ad diem 7 mensis Iulii anno 1992, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 8 mensis Ianuarii anno 1993 probatae sunt. *Positione* confecta, die 9 mensis Octobris anno 2001, in Congressu Peculiari Consultorum Historicorum pro eorum competentia, et, die 8 mensis Februarii anno 2011, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 6 mensis Martii anno 2012, audita relatione Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Antonii Cardinalis Cañizares Llovera, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Iosephae a Sanctissimo Sacramento (in saec.: Mariae Iosephae Recio Martín), Fundatricis Sororum Hospitalariarum a Sacratissimo Corde Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Maii A. D. 2012.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BENEVENTANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Rachelis Ambrosini, Christifidelis Laicae (1925-1941)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam. Euge, gloria mea! Exsurge, psalterium et cithara, excitabo auroram » (*Ps* 108, 2-3).

Servae Dei vita brevis Rachelis Ambrosini est in laudem Domini: illa, « a mane », vultum Amati quaesivit et caritate magnifica perfectaque amplexa est eum.

Serva Dei die 2 mensis Iulii anno 1925 nata est in *Passo Dentecanis*, Abellini parva fractione. Postea, die 7 mensis Novembris baptizata est in ecclesia Annuntiationi Virginis dicata. Familia eius dives erat et non sine firmis christianis praeceptis: in ea « Rachelina » recte adolevit, etiam ob matris profundam pietatem erga Virginem Mariam, quam illa prece Sancti Rosarii semper invocabat. Hanc pietatem accepit, quae a pueritia solebat vocare magno cum amore Matrem Dei.

In itinere educationis, sacramenta primae Confessionis et primae Eucharistiae magnae gravitatis fuerunt, quae illa laeto fervore et conscientia vixit. Etiam educatio eius cum diligentia aucta est iuxta scholae disciplinam. Se

ostendebat comprobatam et alacrem, et feliciter in lectionibus communicabat quarum in variis gradibus excelluit.

Interea, naturales virtutes eius, nempe intellegentia, voluntas, magnanimitas et amor in omnem creaturam, emergebant.

Labor pietasque in illa maxime coniunxerunt: iuvenis Serva Dei studia sua curare et domestica officia discere solebat, etiam naturam amabat, quae impellebat eam ad Altissimum laudandum et benedicendum. Eo tempore iam caritatem in comites pauperrimas et amorem secundum necessitates inopum differebat.

Anno 1936, Rachelina Barium petivit, hospes Sororum apud Institutum «Sanctae Rosae», ut studia superiora pergeret. In collegio vita eius irreprehensibilis fuit et insignis, alumnis exemplum. Patefacta deinde est novitas: Rachel se transtulit Romam lycei causa. Hic, hospes Sororum Missionalium Sacri Cordis in Instituto «Francesca Cabrini», mox notata fuit propter eius benevolentiam et candorem. Romae curae belli afflixerunt eam, sed, etiam in hoc tempore, illa plenam spei se praebuit et tranquillitatis.

Rachel maturescebat et, cum ea, eius spiritualitas. Illa requirens Dominum et eius voluntatem vivebat, exemplum Christi contemplabatur, ferventer sacramentis appropinquabat et assidue mysteria fidei meditabatur; magnum spiritum benignitatis erga proximum colebat et parata ac promptissima in servitium videbatur. In ea intima communione cum Domino perficiebatur iter eius vitae et integra corroborabatur eius adhaesio voluntati Dei, suavi caritate iuventutem collustrante.

Experientia autem spiritualis impensissima, quae illis annis velut improviso perluxit, ad Crucis mysterium fuit concursus. Die 26 mensis Februarii anno 1941, ad Feria Quarta Cinerum, recepta est in valetudinarium, quia morbo laborabat meningitis gravissimae et repentinae. Profunda fides Divinae Providentiae eam in hoc praematuro dolore sustinuit. Rachel sacramentum Unctionis Infirmorum accepit, Confessionis Eucharistiaeque. Cappellanus nosocomii mirabatur illam puellam «certe angelicam» esse dicens. Postremo Serva Dei accipere voluit sacramentalem Communionem prima mensis feria sexta; tunc vero supremum eucharistico cibo se aluit, cuius admodum conscia fuit. Romae die 10 mensis Martii anno 1941 in Domino quievit, dum decimum sextum aetatis annum agebat, immenso parentum dolore omniumque deploratione comitantium.

Corpus eius in Campanarellum prope Abellinum translatum est. Ingens multitudo populi accurrit et multae laudes funebres sunt habitae. Anno 1958

autem exuviae eius translatae sunt in Venticani ecclesiam. Fama sanctitatis eius semper augebat, maxime inter iuvenes, quibus Rachel exemplum vitae piae et fidelis Deo est. In nomine eius multa opera aedificata sunt pro pauperibus in variis locis orbis terrarum.

Propter hanc sanctitatis famam, apud Curiam Archiepiscopalem Beneventanam a mense Decembri anno 1958 ad mensem Aprilem anno 1961 habitus est Processus informativus; ab anno 1959 ad annum 1960 Processus rogationales in dioecesibus aliis acti sunt. A die 7 mensis Decembris anno 1991 ad diem 8 mensis Aprilis anno 1995 habita est Beneventana Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam auctoritatem Congregatio de Causis Sanctorum agnovit Decreto die 16 mensis Februarii anno 1996. Parata *Positione*, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum positivo cum exitu habitus est die 19 mensis Novembris anno 2010. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 3 mensis Aprilis anno 2012 congregati, coram me, Card. Angelo Amato, S.D.B. praesidente, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Laurentii Chiarinelli, Episcopi emeriti Viterbiensis, edixerunt Servam Dei Rachelem Ambrosini theologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroicum in modum excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Rachelis Ambrosini, Christifidelis Laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Maii A. D. 2012.

ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CAMPANIENSIS IN BRASILIA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Francisci de Paula Victor, Sacerdotis dioecesani (1827-1905)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis » (*1 Thess* 2, 8).

Servus Dei Franciscus de Paula Victor plene Apostoli hoc infinitae caritatis Dei in mundum summopere secutus est exemplum ac testimonium praebuit.

Die 12 mensis Aprilis anno 1827 in loco *Vila da Campanha da Princesa* intra fines Fodinarum Generalium in Brasilia Franciscus e nigra serva Laurentia Iustiniana de Jesus natus est, cuius domina ad regenerationis fontem parvuli infantis fuit matrina. Iam inde a pueritia rerum religiosarum admodum se praebuit sollicitum, spiritum orationis contemplationisque assidue excolens. Sartorum arti initiatus, primitias vocationis ad sacerdotium Franciscus de Paula percipere incepit et voluntatem, ut presbyteratu augeretur, prodidit. Adiuncta vero societatis tanto consilio perficiendo valde videbantur incommoda: regimen, enim, ex iuribus dominorum in servos constitutum praepollebat, quibus, praesertim nigris, non modo ad cuiuscumque munus sive publicum sive civile sive ecclesiasticum aditus, sed studium protinus prohibebatur.

Afflatus Francisci de Paula in dominae eius et matrinae auxilio atque in Servi Dei Antonii Viçoso, Episcopi Marianensis, constantia, qui servitutis abolitionis erat pervicax, secundam invenit facultatem. A sene parocho Campaniae, ideo, ad studia relatus, Franciscus de Paula in Seminarium Marianense acceptus est, in quo aliorum Seminarii tironum iniquitates disparitatesque adeo patienter tulit, quorum tamen factus fuit servus, quocirca humilitatis fortitudinisque gratia eorundem dein omnium adipisci valuit favorem. Dispensatis, igitur, omnibus canonicis impedimentis, die 14 mensis Iunii anno 1851, presbyter ordinatus est.

Magna autem pars eorum qui alba candent cute infensius reiciebat nigrum quendam iam servilis generis presbyterum esse et ideo recusabat immo ab eodem sanctam Communionem accipere. Cum igitur die 18 mensis Iunii

sequentis anni in civitatem *Tres Pontas* missus est, ut munere vice parochi fungeretur, populus christifidelium magno tumultu et summa ei restitit exceptione. Attamen mansuetudo et patientia tot inveteratissima proterere valuerunt praeiudicia, ut Servus Dei diuturnitate non modo optime reciperetur, sed et ab incolis paroeciae honoraretur.

Immenus amor Iesu Christi cor fuit eius spiritualitatis et vegetum erga aerumnas vitae fulcimen. Ex huius amoris fonte vires carpsit ad repagula aberratae humanae mentis discutienda et ad radicem honestioris consortiorisque societatis provehendam. Curae moderationique animarum exstructionem Collegii sub titulo Sacrae Familiae nuncupati adiunxit, ubi etiam munus magistri exercuit, qui concessit, ut omnes ad studia accederent et idem institutionis iter divites cum pauperibus, albi cum nigris sine discrimine communicare possent. Artis ingenium atque humani cultus provectus praecipui fuerunt fines Servi Dei, qui, singulari sollicitudine motus, aliud etiam perfecit inceptum, scilicet ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis Dominae Nostrae ab Auxilio provehendi.

Fides, caritas et spes interiorem Servi Dei indolem peculiariter exornaverunt. Vixit, enim, ipse pura in paupertate et exemplo fuit fidelibus ac praesertim sacerdotibus, qui sancti instar eum putaverunt. Amor Dei, per caritatem erga proximum effusus, sacerdotalis eius vitae informavit specimen. Constans, enim, servitii, patientiae, fortitudinis, temperantiae et prudentiae spiritus magnam elicuerunt admirationem populi, qui dein nullo ob colorem cutis despectu amplius eum affecerunt. Liturgiam peculiari studio curavit, quam ut inexhaustum habuit omnis humani ac spiritualis profectus fontem, et festum quemque sollemniter celebrans actuosam populi participationem fovit eiusdemque suscitavit institutionem.

Hereditas spiritualis et culturalis, quam Servus Dei tradidit, singularis loci *Tres Pontas* finitimorumque facta est species. Quinquaginta annis amplius tamquam parochus in loco *Tres Pontas* gestis, Servus Dei die 23 mensis Septembris anno 1905 pie in Domino quievit. Fama eius mortis citius crebruit, cum Franciscus de Paula probatissimos inter clericos Fodinarum Generalium et tamquam fulgentissimum decus existimabatur totius nationis, verum speculum virtutis ac pietatis exemplum. Ingens multitudo ad eius exuvias visendas concurrit, sicut et frequentissimis exsequiis, quibus interfuerunt clerus et populus christifidelium ad veneradum parochum deflendi et conclamandi indigum. Corpus eius in loco *Tres Pontas* in ipsius paroeciali ecclesia tumulatum est.

Ob indesinentem eius et in dies progredientem sanctitatis famam, Causa Beatificationis et Canonizationis apud Curiam Episcopalem Campaniensem in Brasilia instructa est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 30 mensis Maii anno 1994 ad diem 31 mensis Maii anno 1995 et Supplementi Inquisitionis, quod instruendum visum est, a die 12 mensis Iunii ad diem 5 mensis Augusti anno 1998, quorum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die 18 mensis Decembris anno 1998 probatae sunt. *Positione* confecta, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 5 mensis Februarii anno 2002 Congressus Peculiaris Consultorum Historicorum habitus est et die 13 mensis Maii anno 2011, prospero cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria cui ego, Angelus Card. Amato, S.D.B., praesedi die 17 mensis Ianuarii anno 2012, audita relatione Em.mi ac Rev.mi Domini Francisci Cardinalis Arinze, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei Franciscum de Paula Victor virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Francisci de Paula Victor, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 10 mensis Maii A. D. 2012.

Angelus Card. Amato, S.D.B.
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 2 Februarii 2013. — Cathedrali Ecclesiae Corocorensi, R. D. Percy Laurentium Galván Flores, e clero archidioecesis Sucrensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sucrensi, Exc.mum P. D. Iesum Juárez Parraga, S.D.B., hactenus Episcopum Altensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Maxitensi, R. D. Michaëlem Aupetit, e clero archidioecesis Parisiensis ibique Vicarium Generalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 6 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Naissitanae, R. D. Valdir Mamede, hactenus Vicarium iudicialem Brasiliapolitanum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Cametanensi, noviter evectae, Exc.mum P. D. Iesum Mariam Cizaurre Berdonces, O.A.R., hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

die 8 Februarii. — Archiepiscopali Ecclesiae Montis Regalis, Exc.mum P. D. Michaëlem Pennisi, hactenus Episcopum Platiensem.

die 14 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Molinensi, R. D. Laurentium Percerou, e clero dioecesis Carnutensis ibique hactenus Vicarium Generalem.

die 19 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Tuxtlensi, Exc.mum P. D. Fabium Martínez Castilla, hactenus Episcopum Civitatis Lazari Cárdenas.

die 20 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Giufitanae, R. D. Iosephum Mariam Angonese, e clero Sanctae Mariae, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Curitibensis.

die 20 Februarii 2013. — Titulari episcopali Ecclesiae Goritanae, R. D. Danielem Miehm, e clero dioecesis Hamiltonensis, ibique Curionem paroeciae «Sancti Benedicti» in civitate vulgo Milton, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 21 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Rivogallaecensi, Exc.mum P. D. Michaëlem Angelum D'Annibale, hactenus Episcopum titularem Nasaitensem et Auxiliarem Rivogallaecensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Resistenciae, Exc.mum P. D. Raimundum Alfredum Dus, hactenus Episcopum Reconquistensem.

— Cathedrali Ecclesiae Florestensi, R. D. Gabrielem Marchesi, e clero dioecesis Fesulanae, hactenus dioecesis Vianensis Vicarium episcopalem.

— Cathedrali Ecclesiae Itabirensi-Fabriciannensi, R. D. Marcum Aurelium Gubiotti, e clero de Pouso Alegre, hactenus eiusdem archidioecesis paroeciae vulgo «*Nossa Senhora de Fátima*» dictae Parochum.

— Cathedrali Ecclesiae Tunetanae, R. D. Hilarium Antoniazzi, e clero Patriarchatus Hierosolymitani Latinorum, hactenus paroeciae vulgo dictae «Rehem» Curionem.

die 23 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Tlapensi, Exc.mum P. D. Dagobertum Sosa Arriaga, hactenus Episcopum titularem Gummitanum in Byzacena et Auxiliarem archidioecesis Angelorum.

— Episcopali Ecclesiae Isclanae, R. D. Petrum Lagnese, e clero Capuano, hactenus in eadem archidioecesi Parochum Sanctae Mariae vulgo dictae «dell'Agnena», in civitate italice appellata Vitulazio.

die 28 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Mariae, R. D. Samuelem Jofré, e clero archidioecesis Cordubensis in Argentina, ibidemque hactenus Vicarium Iudicialem et Sancti Christi Parochum.

ACTA OFFICIORUM

OFFICIUM DE LITURGICIS CELEBRATIONIBUS SUMMI PONTIFICIS

RESCRITTO "EX AUDIENTIA SS.MI"

Modifiche all'*Ordo Rituum pro Ministerii Petrini Initio Romae Episcopi*

Il Santo Padre Benedetto XVI, nell'Udienza concessa al sottoscritto Maestro delle Celebrazioni Liturgiche Pontificie il giorno 18 febbraio 2013, con la Sua Autorità Apostolica ha approvato alcune modifiche all'*Ordo Rituum pro Ministerii Petrini initio Romae Episcopi.*

Il Santo Padre ha disposto che le modifiche all'*Ordo Rituum pro Ministerii Petrini initio Romae Episcopi*, da lui approvate e allegate al presente rescritto, siano promulgate e pubblicate in *Acta Apostolicae Sedis*, stabilendo che esse entrino in vigore a decorrere dal 22 febbraio 2013.

Dal Vaticano, 18 Febbraio 2013.

Mons. Guido Marini
Maestro delle Celebrazioni Liturgiche Pontificie

Prot. N. 192/13

MODIFICHE ALL'*ORDO RITUUM PRO MINISTERII PETRINI INITIO ROMAE EPISCOPI*

Celebrazioni per l'Inizio del Ministero Petrino e la presa di Possesso della Cattedra Romana

1. Nel prendere in esame i testi per le celebrazioni di inizio pontificato e di insediamento sulla cattedra di Roma in San Giovanni in Laterano, si nota una particolarità comune a entrambe. Sia nell'una che nell'altra, i riti tipici delle due celebrazioni sono collocati all'interno della Santa Messa.[1]

[1] Cfr *Ordo Rituum pro Ministerii Petrini Initio Romae Episcopi*, nn. 51-57 e 82-84.

Considerando alcune modifiche apportate in questi anni alle celebrazioni papali, con l'intenzione di togliere dall'interno della Messa riti che non le sono strettamente propri (es. Rito del *Resurrexit* la Domenica di Pasqua, Imposizione del pallio ai metropoliti, Canonizzazioni), si ritiene opportuno apportare una modifica anche all'attuale struttura delle due celebrazioni citate, in modo tale che i riti tipici per l'inizio del pontificato e per l'insediamento sulla cattedra romana saranno collocati prima e al di fuori della Messa.

2. Si ritiene opportuno reintrodurre l'atto di obbedienza di tutti i Cardinali al nuovo Pontefice nel contesto della celebrazione di inizio del ministero petrino oltre che all'interno della Cappella Sistina a conclusione del Conclave.[2] In tal modo, questo atto, così significativo, tornerà a essere visibile per la Chiesa intera e per il mondo, e si darà la possibilità a tutti i Cardinali — anche ai non elettori — di compierlo.

Visite alla Basiliche di San Paolo fuori le Mura e di Santa Maria Maggiore

L'attuale *Ordo Rituum pro Ministerii Petrini initio Romae Episcopi*, nn. 68-76 e 102-108, prevede che il Sommo Pontefice faccia visita a queste due Basiliche romane in tempi brevi[3] e in esse vi celebri un particolare rito. Si ritiene più opportuno lasciare la libertà al nuovo Pontefice di decidere quando fare visita alle due Basiliche e le relative modalità celebrative.[4]

Programma musicale

L'attuale *Ordo Rituum* prescrive in modo piuttosto rigido il programma musicale di tutti gli eventi previsti in occasione dell'inizio del ministero petrino del Vescovo di Roma.

Si ritiene opportuno prevedere una maggiore libertà nella scelta delle parti cantate, valorizzando il ricco repertorio musicale della storia della Chiesa, senza doversi limitare alle nuove composizioni, realizzate in occasione della redazione dello stesso *Ordo*.

[2] Cfr *Ordo Rituum Conclavis*, n. 71.

[3] Cfr nn. 17, 27.

[4] Liturgia delle Ore, Santa Messa.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Romano Pontefice Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 4 febbraio, S. E. il Signor Giorgio Napolitano, Presidente della Repubblica Italiana;

Giovedì, 7 febbraio, l'On.le Signora Annegret Kramp-Karrenbauer, Ministro Presidente del Land Saar (Repubblica Federale di Germania);

Venerdì, 15 febbraio, S. E. il Signor Traian Basescu, Presidente di Romania;

Sabato, 16 febbraio, S. E. il Signor Otto Pérez Molina, Presidente della Repubblica del Guatemala; S. E. il Senatore Mario Monti, Presidente del Consiglio dei Ministri d'Italia.

CONVOCAZIONE DELLA PRIMA CONGREGAZIONE GENERALE DEL COLLEGIO CARDINALIZIO

Oggi, 1° marzo 2013, primo giorno di Sede Vacante, il Cardinale Angelo Sodano, Decano del Collegio Cardinalizio, ha proceduto a convocare gli Em.mi Cardinali alla prima Congregazione Generale, in base a quanto è previsto dalla Costituzione Apostolica « *Universi Dominici gregis* ».

Detta prima Congregazione Generale avrà luogo il lunedì 4 marzo alle ore 9.30 nell'Aula Paolo VI, Sala del Sinodo dei Vescovi. È prevista pure una seconda Congregazione Generale nel pomeriggio, alle ore 17, nello stesso luogo.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

2 febbraio 2013 S.E.R. Mons. Michael A. Blume, Arcivescovo titolare di Alessano, finora Nunzio Apostolico in Benin e in Togo, *Nunzio Apostolico in Uganda.*

16 » » S.E.R. Mons. Aldo Cavalli, Arcivescovo titolare di Vibo Valentia, finora Nunzio Apostolico in Colombia, *Nunzio Apostolico in Malta.*

22 » » Il Rev.do Mons. Ettore Balestrero, finora Sotto-Segretario della Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Vittoriana, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Colombia.*

» » » S.E.R. Mons. Léon Kalenga Badikebele, Arcivescovo titolare di Magneto, finora Nunzio Apostolico in Ghana, *Nunzio Apostolico in El Salvador.*

» » » Il Rev.do Mons. Mirosław Adamczyk, Consigliere di Nunziatura, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Otricoli, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Liberia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

6 febbraio 2013 Il Rev.do P. Fernando Vergez Alzaga, L.C., *Direttore della Direzione delle Telecomunicazioni dello Stato della Città del Vaticano « in aliud quinquennium ».*

9 » » Il Rev.do Mons. Carlos Simón Vázquez, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia « in aliud quinquennium ».*

14 » » Il Rev.do Mons. Claudio Iovine, finora Aiutante di Studio dellla Congregazione delle Cause dei Santi, *Relatore del suddetto Dicastero « ad quinquennium ».*

15 » » Il Rev.do P. Friedrich Bechina, F.S.O., finora Officiale della Congregazione per l'Educazione Cattolica, *Sotto-Segretario del suddetto Dicastero.*

22 febbraio 2013 Il Rev.do Mons. Michael W. Banach, finora Rappresentante Permanente della Santa Sede presso l'Agenzia Internazionale dell'Energia Atomica (A.I.E.A.), presso l'Organizzazione per la Sicurezza e Cooperazione in Europa (O.S.C.E.) e presso la Commissione Preparatoria del Trattato sull'Interdizione Globale degli Esperimenti Nucleari (CTBTO), come pure Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione delle Nazioni Unite per lo Sviluppo Industriale (O.N.U.D.I.) e presso l'Ufficio delle Nazioni Unite a Vienna, Arcivescovo tit. di Memfi, *affidandogli allo stesso tempo l'ufficio di Nunzio Apostolico.*

» » » Il Rev.do Mons. Brian Udaigwe, Consigliere di Nunziatura, Arcivescovo tit. di Suelli, *affidandogli allo stesso tempo l'ufficio di Nunzio Apostolico.*

» » » Il Rev.do Mons. Antoine Camilleri, Consigliere di Nunziatura presso la Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato, *Sotto-Segretario della medesima Sezione.*

Si rende noto che il 26 febbraio 2013 i Rev.di Mons.: Lucio Bonora, Officiale della Sezione per gli Affari Generali della Segreteria di Stato, e Antonio Lazzaro, Officiale della Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica, sono stati annoverati nel *Collegio dei Prelati Chierici di Camera della Camera Apostolica.*

Si rende noto che il 1º marzo 2013 il Rev.do Don Marek Kaczmarczyk, S.D.B., è stato nominato *Direttore Commerciale della Tipografia Vaticana - Editrice « L'Osservatore Romano »* ed il Sig. Duc Nam Domenico Nguyen, S.D.B., è stato nominato *Direttore Tecnico della medesima Tipografía.*

NECROLOGIO

3	febbraio	2013	Mons. John M. D'Arcy, Vescovo em. di Forth Wayne-South Bend (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. Joseph Egerega, Vescovo tit. di Lacubaza e Vicario Apostolico em. di Bomadi (*Nigeria*).
»	»	»	Mons. Ignace-Baguibassa Sambar-Talkena, Vescovo em. di Kara (*Togo*).
5	»	»	Mons. Joseph Madec, Vescovo em. di Fréjus-Toulon (*Francia*).
6	»	»	Mons. Douglas Joseph Warren, Vescovo em. di Wilcannia-Forbes (*Australia*).
»	»	»	Mons. Arthé Guimond, Arcivesvovo em. di Grouard-McLennan (*Canada*).
7	»	»	Mons. Amedeus Msarikie, Vescovo em. di Moshi (*Tanzania*).
»	»	»	Mons. William Anthony Hughes, Vescovo em. di Covington (*Stati Uniti d'America*).
8	»	»	Sua Em.za il Card. Giovanni Cheli, del Tit. dei Ss. Cosma e Damiano.
11	»	»	Mons. Oswaldo Brenes Alvarez, Vescovo em. di Ciudad Quesada (*Costa Rica*).
17	»	»	Mons. Jesús Ramón Martinez de Ezquerecocha Suso, Vescovo em. di Babahoyo (*Spagna*).
18	»	»	Mons. Anthony Theodore Lobo, Vescovo em. di Islamabad-Rawalpindi (*Pakistan*).
19	»	»	Mons. Pedro Lisímaco Vilchez, Vescovo em. di Jinotega (*Nicaragua*).
21	»	»	Mons. Norbert M. Dorsey, C.P., Vescovo em. di Orlando (*Stati Uniti d'America*).
23	»	»	Sua Em.za il Card. Julien Ries, del Tit. di S. Antonio da Padova a Circonvallazione Appia.
26	»	»	Mons. Giovanni D'Ascenzi, Vescovo em. di Arezzo-Cortona-Sansepolcro (*Italia*).
28	»	»	Sua Em.za il Card. Jean Honoré, del Tit. di S. Maria della Salute a Primavalle.
1	marzo	»	Mons. Julian Voronovsky, M.S.U., Vescovo em. dell'Eparchia Sambir-Drohobych degli Ucraini (*Ucraina*).
»	»	»	Mons. Gabriel Vanel, Vescovo em. di Auch (*Francia*).